7
2-f
37

6
32 M
38

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7. - 2. f. 37.

60.5.4.

58
13

HETRVSCÆ PIETATIS ORIGINES

HETRVSCÆ PIETATIS ORIGINES

Sive

DE PRIMA THVSCIÆ CHRISTIANITATE

FRANCISCI MARIÆ FLORENTINII

NOBILIS LUCENSIS

OPUS POSTHUMUM.

A' Mario Florentinio Authoris Filio Nobili Lucenſe

Ex primò adumbratis lucubrationibus
Excerptum.

LUCÆ M. DCCI.

Typis Dominici Ciuffetti)(*Superiorum permiſſu.*

SUPREMO, AMPLISSIMOQUE

SERENISSIMÆ LUCENSIS REIPUBLICÆ SENATUI, ET EXCELLENTISSIMIS DECEMUIRIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NON diù cogitandum mihi fuit; cui nam vetusta Divi Paulini primi Lucensium Apostoli monumenta nuncuparem. Sivè enim ingentia ab eodem beneficia Vestris Populis, SERENISSIME SENATVS, EXCELLENTISSIMI DECEMVIRI, collata perpendam, sivè munerũ affluentiam, & miraculorum

magnitudinem consiederem, sive insignem pietatem, & religiosum cultum; quibus Sanctissimum Antistitem prosecuti semper estis; animadvertam, aut devinctissimi Authoris, qui dispersam per sœculorum caligines memoriam collegit, & Vestro, dùm viveret, Nomini decreverat inscribendam, mentem cogitatione persequar, omni jure Vobis deberi censui. Neque muneris me deterruit exiguitas; Quid enim sanctius, & æstimabilius offerri potuit? Complectitur namque Opusculum hoc Sanctissimi illius Præsulis gesta, quæ iterùm animo proponunt eversa Dęmonum templa, proculcatas fictorum numinum imagines, proscriptos gentilitatis errores, impietatem fugatam, idololatriam exturbatam. Dabunt eadem fortissimum Chri-

sti-

ſtianę Religionis Ducem, generoſum Fidei Martyrem, qui verbo, exemplo, ſanguinis, & vitæ profuſione à Dęmonis ſervitute Lucenſes in veram libertatem aſſeruit. Quid deniqúe gratius, quàm ob oculos Veſtros tanti Patroni documenta ponere, qui graſſantem peſtilentiam; & furentem in populos morborum ſœvitiam ſępe profligavit, noxiam imbrium redundantiam ſœpiùs coercuit, in annonæ caritate ubertatem peperit, in bellorum fremitu pacem reduxit, in finitimarum Regionum diſsidijs concordiam, & ſecuritatem præſtitit, in dubijs conſilijs Cynoſura fidelis effulſit; in periculoſis tumultuum; turbarumque tempeſtatibus peritiſsimus Nauta tranquillum portum oſtendit? Quare, & Vos SERENISSIME SENATVS,

TVS, EXCELLENTISSIMI DECEMVI-RI in tot beneficiorum perenne teſtimonium auguſtiorem conſtruxiſtis Baſilicam., precioſis lapidibus, ære, auro, ſacram aram ornaſtis, Divi effigiem inſculptam in pecunia voluiſtis, in Propugnaculis Stationarium ſtatuiſtis defenſorem, Vigilem Cuſtodem in Portis, in Magiſtratuum creatione, & Civitatis Regimine prę-cipuum inter alios elegiſtis Præſidem, & amantiſsimum vindicem Libertatis. Alia quoque non prætereunda dicati Operis ſuppeteret ratio, nempe quòd Ditionis, & Civitatis Veſtræ decora recenſeantur, cujus gloriâ ingens, veteriſque famæ planè, apertèque impreſſa manent veſtigia; cum enim ex Romana, & indigena gente coaluerit, exiſtere viſa fortis inter Ligures, cla-

ra

ra inter Vmbros, maximè inter Hetruſcos pia, & id etiam laudis accedit, quòd ſola hactenus inter Reſpublicas à Romanis Colonijs ortas cęleſte munus tranquillæ retinet libertatis. Ne dedignemini igitur hunc, qui Vobis omnibus de cauſis debetur, ſub clementiſſimis Veſtris auſpicijs poſthumum fętum excipere, & ſicut ipſius Authorem pluribus olim beneficijs cumulaſtis, ita obſequentiſsimum ejuſdem filium benigno patrocinio fulcite; ac Pardalim Nobiliſſimum ſtemma Veſtrum imitantes, quæ territat, & allicit, detractoribus timorem incutite, & benevolos Veſtræ humanitatis exemplo lectores incitate. Magis autem, magiſque incorruptæ juſtitiæ ſtudio, & veræ pietatis ardore incenſi Sanctiſsimum Antiſtitem exorare

non

non desistatis, ut annuente Dominantium Domino, felicissimum, & liberum sine fine seruet Imperium:

Humillimus, & Devinctissimus Servus
Marius Florentinius.

Hu-

HUMANISSIMO LECTORI

MARIUS FLORENTINIUS

MIRABERIS fortaſſe, benevole Lector, quòd pluribus jàm elapſis annis, ab interitu amatiſſimi Patris mei ſacras iſtas lucubrationes nunc tandem divulgaverim. Multiplicibus curis, & quodam veluti nexu aſſiduarum occupationum impeditus, cum ſæpe de paternis varij argumenti Operibus edendis cogitaſſem, ad hanc diem diſtuli, qua, ipſo caſu facultatem ſuppeditante, incenſæ potui ſatisfacere voluntati. Nam ſuperiore hyeme parum commoda præter conſuetudinem valetudine uſus, coactus nonnunquam domi conſiſtere, potui per otium evoluere plura genitoris authographa; inter ea verò reperta hæc Divi Paulini monumenta, religioni fermè duxi, ſi paſſus eſſem diutiùs in privata bibliotheca deliteſcere, neque ad omnipotentis Dei, ejuſdemque Sancti Antiſtitis gloriam publicaſſem. Habes igitur ea, lector, ut primò ab Authore delineata ſunt, nulla prorſus adhibita mutatione, imò nedum expletis quibuſdam ad Chronologiam Urbis &c. ſpectantibus lacunis, ſed ad marginem numeralibus notis appoſitis, proditura certè magis aucta, & expolita, ſi author ſupremam illis manum impoſuiſſet. Hic autem Te, benigne lector, monitum volui, cum idem Author in exercenda medica facultate aſſiduis laboribus diſtineretur, ſubciſivis (qua erat bonarum artium cupiditate) ac plerumque neceſſario ſomno ereptis temporibus, variarum ſtudio rerum ad Patriæ decus, & commodum, quantùm ipſius vires ferrent, operam dediſſe. Prima enim juventute, remiſſo ſtudio latinæ, atque Hetruſcæ poeſis, in qua feliciter verſabatur, quòd aliò vocaret ejuſdem induſtriam tempo-

rum calamitas, anno MDCXXX. ſæviſſimæ peſtilentiæ obnoxio, poſtquam, primùm in Noſocomio extra Civitatem conſtructo, demum in ipſa Urbe, aliquot menſes curandis, ſublevandiſque ægrotantium languoribus operam impendit, truculentiſſimi morbi obſervationes quaſdam diligenter congeſſit. Aliquantò poſt feliciore tempore, & à moleſtiſſimis occupationibus vacuo, veteribus codicibus, ac priſcis monimentis in membrana exaratis pervolutatis, excuſſiſque, ex antiquiſſimis Tabularijs, Mathildis maximæ Thuſciæ Comitis hiſtoriam contexuit, & Lucenſi origini, quam ſcriptores alij detraxerant, magnanimam Heroinam reddidit. Tum Aſtricinologiam, ſeu de Canicularibus diebus Iatromathematicam diſſertationem compoſuit, de epidemico cordis Polypo frequenter in cadaverum diſſectionibus obſervato, ac lienis Sphaculo, anno MDCXXXXVIII. maximè funeſto, ac morboſo, explicatas tribus libris obſervationes conſcripſit. Libellum de genuino puerorum lacte, & mammillarum in Viro lactifero ſtructura vulgavit, atque hìc gloriolam, quam aucupari potuiſſet, inter primos Venarum lactearum inventores, neglexit. Herbariorum Hyſſopiſmum, ſeu de ſacra antiquorum byſſopo reſtituenda Phitocriticam diſquiſitionem perfecit, in qua Dioſcoridis ætas expenditur, Plinius in multis vindicatur, & plurima in ſacris, & humanis literis explicantur. Scripſit etiam de medicato Chriſti funere diatribam. Lucenſium rerum vetuſtiſſimam à ſuis primordijs hiſtoriam delineavit, à fabulis vindicatam, ſed non abſolvit. Sacra Eccleſiæ Lucenſis dyptica literis comſignavit cum Epiſcoporum ſerie, quam Abbas Ughellius ab eodem acceptam ſuam in Italiam ſacram tranſtulit. At doluit Pater meus, ut homines ſumus (ejuſdem verbis, in Conſilio illius Operis ad lectorem prolatis, utar) Epiſcoporum aliquos, in ſua ad eumdem doctiſſimum Virum tranſmiſſa Sylloge omiſſos, ac plures ab Ughellio fuiſſe præteritos, & præcipuè Billanũ, ſeu Follanum inter Sanctos Præſules à noſtris veneratum non minùs

ex

ex Epiſcoporum cœtu, quàm ex albo Sanctorum fuiſſe expunctum. Quędam ad Sanctiſſimi Vultus hiſtoriam adumbravit, Parergon de nigra Clericorum veſte ſubdens, ſed non abſoluta reliquit. Vetuſtius S. Hieronymi Martyrologium, Magnum, ac laborioſiſſimum Opus poſteritati typis editum tradidit. Divi Silai Epiſcopi Hibernenſis vitam grati, & obſtricti animi gratia deſcriptam, publicam fecit. De Homine dubio in abortivis probabiliter dignoſcendo pro Baptiſmate, Praxim, & Paralipomena ſcriptis prodidit, quam Operis epigraphem P. Hieronymus Florentinius germanus Authoris frater mutuatus in fronte libri ſui Lugduni recuſi appoſuit. Diſquiſitionẽ de antiquo uſu fermentati panis, & azimi pro Sanctiſſimo Euchariſtiæ ſacrificio ad Eminentiſſimum Cardinalem Bona miſit, qua accepta, amanitiſſimus veritatis non dubitavit ingenuè fateri, ſe in opere ſuo lyturgico, tunc ſub prælo gemente, quædam mutaviſſe, imò folium monitionis ad lectorem pro majori dilucidatione addidiſſe. Hoc autem opuſculum publici juris à pluribus expetitum feci, ea etiam de cauſa, quod ſuppreſſo Authoris nomine, fuit, qui illud ferè totum inter ſua repoſitum ſibi vindicavit. Scripſit etiam de Patria Conſtantini diſputationem ad Canonicum Storanum Anconitanum, & pro Vita Lucij Tertij collectanea cumulavit. Simulato etiam nomine Opuſcula quædam ſpiritualia edidit. Prætereo alia cùm ſacra, tùm prophana, cum amœniora ſtudia libuit conſectari. Omitto Medicas conſultationes, & præcipuè de Cortice Peruano China China experimenta in omnibus febribus, quæ fortaſſe primus in Italia fecerat. Sileo eruditas Italicas, & latinas eruditiſſimis Viris datas literas, quibuſcum literarium frequens commercium intercedebat, præſertim Eminentiſſimis Cardinalibus Franciſco Barberino, Sfortiæ Pallavicino, Joanni Bona, Cæſari Raſponio, Hieronymo Bonviſio, & Franciſco, tunc nondũ Cardinali Joſepho Suareſio Epiſcopo Vaſionenſi, Lucæ Holſtenio, Vaticanæ Bibliothecę Cuſtodi, Petro Pa-

ulo Boſca Ambroſianę Bibliothecæ Præfecto, Lucæ Uvadingo, Abbati Ughellio, doctiſſimis PP. Societ. Jeſu, Bollando, Henſchenio, Papebrochio Flandrobelgis, Franciſco Bernardino Ferrario, Hieronymo Boſſio, Petro Puricellio Archipresbytero Mediolanenſi, Octavio Boldonio Epiſcopo Theanenſi, Abbati Foſſæ, Abbati Conſtantino Gaetano, Benedicto Silvatico, Alcidio Muſnier, Carolo Dati, Kedio, Malpighio, Ippolyto Marracci, Antonio Maliabechio S. M. Ducis bibliothecario eruditiſsimo, Aproſio Ventimilia, Henrico Julio Baroni de Blum in Germania, Petro de Faultrey, Raphaeli Duſreſne in Gallia, Carolo Cartaro Advocatorum Sacri Conſiſtorij Decano, Friderico Friderici Patricio Januenſi, Coſmæ dela Rena, aliſque plurimis. Inter tàm multos, tàmque varios mentis, & ingenij partus, etiam, quod profero, opuſculum concepit. Æquo Tu animo patieris, benigne lector, ab Authore nor perfectum nunc prodire numeris non omnibus, abſolutum. Satiùs fuit ità inornatum in lucem edi, quàm perpetuis tenebris involui. Mihi quoque ignoſcas velim, & aliquid in optimum, & dilectiſsimum Patrem amori indulgeas, ſi te plus æquo enumerandis ejuſdem eruditis laboribus moratus ſum, quando fortaſſe non erat hìc locus. Animus eſt alia in lucem proferre, ſi divino beneficio vita, & incolumitate frui contigerit.

In fine Operis brevem narrationem maximi Miraculi anno MDCLXIIII. à Divo Paulino patrati, ut ſemper vigil ejus Sancti cuſtodia, & patrocinium appareat, adieci.

De corrigendis Typographi erroribus non admodum ſolicitus ero, cum ſingularis humanitas, & eruditio tua, cùm dignoſcere, tùm judicio ſuo poſsit expungere.

IN-

INDEX CAPITUM.

VOTIVA *Authoris intentio de prima Thuſcorum Chriſtianitate.*

Tetri, ac ſociorum per Italiam iter inquiritur, ejuſdem in Thuſciam adventus, ara, prædicatio, & Piſanæ Eccleſiæ à Perino, Antonio, & Torpete exordia diſcutiuntur. Cap. I.

Prima Cluſinorum, ac Collenſium per Apollinarem, & Martialem à recentioribus inducta Chriſtiana Fides expenditur, & Senenſium per Anſanum aſſeritur. Cap. II.

Suburbicariæ ad Orientem Hetruriæ, Tertapolis, Faleriæ, Nepetæ, præciputè per Eutitium, Ptolomæum, ac Romanum ad Chriſtum converſio expenditur, ac obiter de Epiſcopis, non Neophitis eligendis Apoſtolorum decreta proferuntur. Cap. III.

Exterioris Hetruriæ ad Orientem Peruſinorum, ad Occidentem verò Lunenſium prima Chriſtiana Fides expenditur. Cap. IIII.

In Annonaria Thuſcia Volaterrarum, Feſularum, & Adiacentium nonnullarum Urbium Chriſtianæ fidei primordia recenſentur, & expenduntur. Cap. V.

Prima ad Florentinos, ſeu Feſulanos Chriſti prædicatio per Paulinum, & Frontinum, deinde per Romulum oſtenditur. Cap. VI.

Prima Lucenſium Chriſtiana Fides ex Chronologorum calculo, &

Ro-

Romanæ Eccleſiæ conſenſu cæteris in Hetruria vetuſtior oſtenditur. Cap. VII.

Quòd Lucenſes primi in Thuſcia Epiſcopum habuerint, præter gratuitum Dei munus, humanæ quoque prudentiæ rationes afferuntur Cap. VIII.

Lucenſes prima Monaſticæ, & Eremiticæ vitæ, ſaltem in Italia, ſemina jeciſſe demonſtratur, undè & citiſsimè apud eoſdem Chriſtianam fidem floruiſſe deducitur. Cap. VIIII.

Ex erectis primò Eccleſijs, primò etiam ſuſceptæ apud Piſanos, & Lucenſes Hetruſcæ Chriſtianitatis indicia recenſentur, & de earumdem Eccleſiarum titulis obiecta refelluntur. Cap. X.

Definita de adventu D. Paulini in Hetruriam Epocha expenditur, & vulgata defenditur. Cap. XI.

D. Paulini Patria, Ætas, & diſciplina inquiruntur, ac obiter de Epiſcopali ætate, & Clericali tonſura diſſeritur. Cap. XII.

In Paulino Petri ſequela, ac inter ſeptuaginta antiquiores diſcipulos enumeratio diſcutitur, & confirmatur. Cap. XIII.

Hetruſcam fidem primus Nero cruenta vit, Piſana per eumdem Carnificina, & indè Thuſcorum Martyrum primitię. Cap. XIV.

Paulini Apoſtolatus, ac in ipſius, & ſociorum certamine Hetruſcæ Chriſtianitatis incrementa. Cap. XV.

Paulini, ac ſociorum corpora à priſcis fidelibus ſepulturæ donata Lucam transferuntur, & poſt longum tempus prodigioſè inventa, ſumma veneratione ſervata bucuſque coluntur. Cap. XVI.

Ex Paulini Apoſtolatu Lucenſis Eccleſię conſecutum decus. Cap. XVII.

Sancti Paulini, quæ deindè afferentur acta, antiqua & ſincera eſſe, & cum varijs Martyrologijs concordare, oſtenditur. Cap. XVIII.

Acta

Acta D. Paulini ex authentico Cathedralis producuntur, & variis lectionibus, ac notis illustrantur. Cap. XVIIII.

Tumultuariæ notæ, quæ remanserunt imperfectæ, in acta Sancti Paulini pag. 233.

Inventio Corporum Sancti Paulini, & Sanctorum Severi, Theobaldi, & sociorum ejus pag. 237.

Miracula Sancti Paulini Episcopi, & Martyris pag. 241.

Vita Sancti Antonij Eremitæ, cujus corpus in Ecclesia Sancti Paulini requiescit cum marginalibus notis pag. 245.

Passio S. Romuli Episcopi Fesulani cũ varijs lectionibus pag. 254.

Extemporales notationes in Acta Sancti Romuli pag. 269.

Brevis Appendix Marij Florentinij cum Miraculo Sancti Paulini anni MDCLXIIII. &c. pag. 278.

Inscriptio ad Valvas Templi D. Paulini pag. 283.

Altera Francisci Mariæ Florentinij pag. 284.

DE PRIMA

THUSCORUM CHRISTIANITATE

VOTIVA AUTORIS INTENTIO

ETRUSCÆ Religionis exordia ab ijſdē Romanæ Eccleſiæ crepundijs auſpicari non pudet: Piaculum veriùs eſſet quam dedecus foecundiſſimam vel ab infantia matrem ſterilitatis arguere, & Petrum è piſcatore fortiſſimum ducem, expugnato Capitolio, inter finitimas gentes inſimulare ſocordiæ. De tam uberi fonte latè ſalutis unda manavit, & à Romani culminis domitore exuberans victoriæ fructus confeſtim redundavit in proxima. Ab Etruſcis extorta profanæ religionis myſteria in ſolidiſſimā commutata pietatem refluxerūt ad Thuſcos, ut undè Roma probroſæ ſuperſtitionis ſemen acceperat, indè præcocis Fidei incrementa laudaret. Dicam planiùs id quod res eſt. Apoſtolorum Princeps Italiam rerum dominam novæ

legi ſubijciendam ſortitus, eamdem etiam primus ex Apoſtolis tenuit. Excitatus ad fortia probatiſſimę primum fidei commilitones, quos frequentiſſimis gentibus opponeret, ex Oriente ſelegit, ut edomito Imperij capite in obſequia faciliùs traherentur & membra. Superato igitur Orbis vertice, ibique Crucis erecto labaro, dùm operoſi verbi milites ad præclara æſtuabant facinora, ad Hetruriam inter cętera ſubigendam delectum Petrus indixit. Aderat Paulinus ſpectatiſſimæ virtutis anteſignanus, ſiue pridem inter Chriſti diſcipulos autoratus, ſiue recentior ſupremi ducis contubernalis ſtipendia mereretur, aderat, & aſſertorias ad provinciam conficiendam tabulas expectanti ulterior obvenerat Thuſcia. Hunc Apoſtolicà teſſerà ſignatum in ſortitam regionem primum Evangelicę veritatis claſſicum intonuiſſe demonſtrare ſine fuco conabor. Dabo, ni fallor, è ſinceriori vetuſtatis penu Hetruſcę Chriſtiāitatis authorem, dabo religionis noſtræ prænuncium, dabo Provinciæ Apoſtolum, ſuoque non minùs, quam diſcipulorum ſanguine fœcundiſſimum martyrem dabo. Faveat ipſe cœptis Thuſcorum Hierarcha Paulinus, faveant & Fronto, & Creſcens, & Dulciſſimus, & Romulus, & ſi quis alius ex Apoſtolica cohorte primipilaris militavit in Thuſcia. Faveat Antonius, & Torpes, favete omnes, qui Paulinum præcurſorem ſecuti, primā Hetruriæ noſtræ fidem, quà verbo, quà ſanguine prolataſtis, vos inquam, qui fucatæ dudum prælationis ambitum detrectantes interris, nunc inter ſolidiſſimas Dei laudes unanimes exulta-

tatis in Cœlis, primævæ Thuſcorum per Paulinum Chriſtianitati ſavete. Annuat Æternę Veritatis genitrix Virgo, quæ Thuſcos ſuos, immaculati lactis redundantia reſperſit, quæ puriſſimo capillorum theſauro ditavit, quę ſponſali anulo, virginali cingulo, crinali vitta, prodigioſo ſanguine non manufactis, mirandiſque imaginibus locupletavit, annuat obſecro quæſitæ veritati piiſſima Mater. Adſit at in primis ſumma veritas Chriſtus Deus, & qui ſanguinem ſuum Chriſtianæ fidelitatis feraciſſimũ ſemen, & reparatę per Crucem ſalutis exemplar in Etruria ſervari voluit, de prima eiuſdẽ fide ſcribenti ſpiritum veritatis tàm affluenter immittat, ut ad occurſum puriſſimi luminis caligantes oculos intendi non permittat in fabulas.

Petri, ac ſociorum primum per Italiam iter inquiritur, eiuſdem in Thuſciam aduentus, Ara, prædicatio, & Piſanæ Eccleſiæ à Perino, Antonio, & Torpete exordia diſcutiuntur.

CAP. I.

APOSTOLORVM ergò Principem Hieroſolymis, vel Antiochia cum Socijs ſolventē ſanè in Italicum littus expoſitum veneremur. Plures fuiſſe Apoſtolici cœtus aſſeclas antiqua, & ſincera S. Apollinaris acta ità me docent; *In diebus Claudij Cæſaris veniente Petro Apoſtolo Iesù Chriſti Nazareni ab Antiochia in Urbem Romam, multi cum eo Chriſtiani adminiſtrantes ei Romam venerunt.* Confirmant, & S. Aſpreni monumenta infra adducenda, dùm prodigioſæ per Apoſtolum ſanationi plauſiſſe dicuntur *Chriſticolæ Petri ſecuti veſtigia ab Antiochenis finibus.*

Horum aliquot primùm Gulielmus Spirenſis, & Antonius Monchiacenus enumerarunt, ſed certiores, & ex purioribus fontibus Baronius. Scriptores tamen huiuſmodi, cùm Petri potiùs diſcipulos vario tempore, variarum gentium Epiſcopos recenſere, quàm primæ Italicæ expeditionis ſocios in claſſem redigere laborauerint, erunt mihi pro re mea ex Martyrologijs, alijſquè Sanctorum actis hi ſeiungendi, qui vel Antiocheni, vel Antiochia Apoſto-

lo-

lorum Principem ſecuti, non modo in Italiam primo ſtatim adventu transfretaverint, ſed & novis gentibus antè Neophiti, & catholicæ veritatis expertes ductores, & doctores dati fuerint; Marcum igitur Evangeliſtam primùm enumerabo, quem unà cùm Petro ipſo, & Petri filium Italorum gentem Chriſto ſubegiſſe docet Procopius Chartophilax, & Italicæ prædicationis ſocium, & coadiutorem extitiſſe S. Cataldi Tarentini Epiſcopi Romæ probata acta teſtantur. Quis autem poſt Marcum vetat Paulinum, ac Ptolomæum Romanæ conſtitutæ Cathedræ proximioris Hetruriæ Præſules, & Apoſtolos non recenſere? Alterum utiquè Petri diſcipulum vocat in Romano Martyrologio antiqua ſepulchri epigraphe, Antiochenum verò, vel ex Antiochia ſocium plura infra dicenda firmabunt. De altero autèm licèt Romanæ Sanctorum tabulæ ſileant, loquitur tamèn Paulus III. Romanus Pontifex, qui B. Petri Apoſtoli diſcipulum appellat, & à Petro in Thuſciam miſſum ad prædicandũ Evageliũ Baronius addit, cui plures adſtipulantur auctores. Nemo paritèr de Appollinare Aemiliæ Apoſtolo ambigit, & præter eiuſdem acta Ado Trevirenſis in Martyrologio *ab Antiochia ſecutum Apoſtolum Petrum* docet, quod & Petrus Damiani cõfirmat. Martialem ſunt qui unum ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, ac Petri non minùs conſanguineum, quàm ſocium eſſe contendant, ſunt qui nec coævum fuiſſe concedant, quod erit infra fuſiùs diſcutiendum. Priſcum quidem Capuanum Epiſcopum antiquum Chriſti

di-

diſcipulum extitiſſe ex Romano Martyrologio, & Uſuardo, Beda, & Adone convincitur, ſicut ex antiquis Eccleſiæ Capuanæ monumentis cum B. Petro Apoſtolo Antiochia Romam veniſſe cumulat Ferrarius. Ita & Proſdocimum Patavinum Epiſcopũ à B. Petro ordinatum Romanæ tabulæ docent, quibus Petrus in Catalogo tàm Marci, quàm Apollinaris Antiochiæ fuiſſe ſocium addit, & Antiochia Romam cùm ijſdem, & Petro adveniſſe confirmat Scardeonius. Pancratium, & Martianum Metaphraſtes aſſerit Petrum Antiochia antequam Italiam, ac Romam attigerit Siculorum Eccleſiæ præpoſuiſſe. At probabiliùs non niſi poſt Romanam firmatam Sedem, & ex Romana Eccleſia miſſos opinatur Baronius. In eodem cenſu & Berillus numerandus accedit, quem paritèr Antiochenum ab Apoſtolorum Principe Catanenſibus præfectum ex eiuſdem Eccleſiæ monumentis, & ex Græcorum Menologio Ferrarius oſtendit, ac nuper in noviſſima Eccleſiæ Catanenſis notitia Groſſius. Anatolium inſuper Mediolanenſibus, Leucum Brunduſinis, Flavium Clementem Metenſibus ex Petri conſortio ſtatim ac Romam ingreſſus fuit, datos fuiſſe Præſules auctor eſt Varnefridus. Ità Aphrodiſium Aegypti antè præfectum Antiochiæ ſacro baptiſmate luſtratum, atquè in Italiam contendentis Petri ſocium Bituricenſium Eccleſiæ clauum tenuiſſe auctor eſt Petrus in Catalogo. Quo etiàm teſte ſi Iulianus primus in Eccleſiaſticis tabulis Petri iuſſu Cenomanenſium Antiſtes, idem cum Simone leproſo Chriſti Domini hoſ-

hoſpite fuerit inter eiuſdem quoquè Apoſtoli commilitones ad Occidentales regiones tranſuectum par eſſet credere. Quin & Savinianus, ac Potentianus Senonenſium, Altinus Aurelianenſium, Eucharius, Valerius, & Maternus Trevirenſium, Ægiſtus Bardovicenſium, Aſtremonius Arvernenſium, Petri ipſius ordinatione Præſules revera ex antiquis Chriſti diſcipulis eſſent, ut plurimorum ſuffragio Eiſingrenius aſſerit, in Italicam quoquè Petri cohortem recenſendos fore facillimè exiſtimarem. Nonnullos ex ijs ſeptuaginta duobus, quos Salvator vivens Judaicę nuper prędicationi præfecerat unicuiquè ex duodecim Apoſtolis ſocios in ſortitas provincias conceſſiſſe Procorus alioquin Apocryphus, ſed antiquus ſcriptor non improbabilitèr retulit, plures verò Apoſtolorum Principem Italiam Auguſtalis culminis arcem Chriſto ſubdere meditantem ſecutos eſſe non negarem. His ergò vel pluribus probatæ virtutis commilitonibus ſociatum Petrum Italiam appuliſſe conſtat. Quo verò felici littore *iter faciens ei qui aſcendit ſuper occaſum* pedes primò fixerit, quia ex Apoſtolicis actis non liquet, Itali fideles digladiantur. Ab Oriente expedito magis itinere Puteolos navigio vectum verisimile eſt, præſertim ſi ante Siciliam attigiſſet. Qui enim Hydruntum, Brunduſium, Tarentum, ac inde per Appiã viã Romam euntem Petrum proſequuntur, primũ in Italiam acceſſum cum alijs poſterioribus itineribus confudiſſe latè in Annalibus demonſtramus. Antiochenam Petri cohortem Neapoli fuiſſe acta S. Aſpreni primi Neapo-

politani Epiſcopi apertè docent, quæ nuper Chioccarellus edidit. Dùm enim narrare pergunt, quèm Petrus, ut Candidum Chriſto lucri faceret, inſanabili morbo liberaverit, addunt, *Cum Criſticolæ Petri ſecuti veſtigia ex Antiochenis finibus reſpondiſſent Amen, Vetula protinus eſt Sanata.* Hinc Romam facile cum aſſeclis conceſſiſſe is facile exiſtimabit, qui Paulum ex Apoſtolicis actis, Puteolis inventis fratribus Chriſtianis, nempe à Petro præcurſore edoctis, & indè alijs ad tres Tabernas, & Appij Forum obuijs Romam pedeſtri itinere proficiſcentem proſequetur. E Romano verò culmine ad Urbes præcipuas dimiſſos ſtatim fuiſſe Epiſcopos dùm antiquiſſimum non invenio, antiquum autorem profero Vvarnefridum, ac magni ponderis inter recentiores Baronium. Cùm verò ingreſſus Petri in Urbem, ſeù quod idem eſt, Romanæ Cathedræ initium in Eccleſiaſticis tabulis quinto decimo Kal. Februarij, & annus ex Euſebio, ac Hieronymo communi conſenſu ſecũdus Claudij ſignetur, iàm non niſi ſecundo Claudij labente, Chriſti nempè 45. Romam Petrus ingredi potuit, & vel eodem vel ſequenti Epiſcopos deſignatos ad Italicas Urbes tranſmittere. Præter Baronium enim, qui ex Romana Sede omnes Occidentalibus datos Epiſcopos anno 46 opinatur, & inter hos collectim Hetruſcos etiàm numerat Ptolomęũ, Paulinum, & Romulum, quos tamen, ſicuti alios ibi recenſitos, varijs temporibus infulatos conſtat, ex antiqua Romanæ Cathedræ celebritate rationem idem Baronius adducit, qua indè reliquam propagatam fidem profitere-

tur

tur. Hinc ergò, ex Romana nempe ſtatim firmata Sede, Hetruſcæ paritèr Chriſtiãitatis primordia promanaſſe fatendum mihi eſſe video. Non me tamèn latet Piſanos ſcriptores Evangelicam lucem in eos antè Romanam Cathedram ab ipſo Protopõtifice Petro emanatam exiſtimare. At antiquioribus rimatis fontibus minùs conſtare invenio. Raphael quidem Roncionius non dùm editus Piſanus chronologus, incertus, an Petrum aſſerat Piſanorum attigiſſe littora, antequã Romã pergeret, in eiſquè vulgata prędicatione iuniorẽ Petrũ, ſivè Perinũ Piſanis Epiſcopum reliquiſſe ab aliquibus affirmari narrat. Quià verò antiquiſſimam narrationem antiquiſſimi ſcriptoris fulcimento deſtitutam viderat, id ſe à Cardinale Alciato, & quibuſdam Mediolani ſervatis manuſcriptis accepiſſe profitetur, quæ num vetuſta, vel recentiora fuerint, prorſus ſilentio involuit. Liburnum, ac Piſas Petrum conceſſiſſe, ibiquè prima Fidei fundamenta ieciſſe anno Chriſti 44. aut 45. alij paſſim ſcriptores Piſani aſſerunt, ut Laurentius Tajolus, & ex eis Razzius, quã quam Perinũ prorſus ignorent. At oculatiſſimus ſuo more Baronius, licèt ab ijſdem Chronologis tradi, Petrum vi tempeſtatis ad Piſanorum littora ex Neapolitano ſinu delatum narret, dùm ex actis S. Marci Atinenſis pedeſtri itinere Apoſtolorum Principem ex Calabria, aut Campania Romam contendiſſe videt, ſubſtitit, & in re dubia calculum ferre nequivit. Verùm ſi hæc non primo, ſed alio per Italiam itinere accidiſſe dicamus, veritatem meo iudicio collimabimus. Ità Piſanæ tra-

ditionis antiquiores ſcaturigines indicare videntur, dùm omnem de Petri adventu narrationem ex unico Nicoſienſis Archiepiſcopi monumento fluxiſſe deprehenditur. Is erat Ugo nomine Piſanus civis, qui tempore Clementis quarti Romę degens, ex Pōtificij gazophilacij membraneo codice Pantheon nuncupato, in rubrica de conſecrationibus altarium invenit primum altare in Italia à S. Petro extructum, cùm transfretaſſet circa littora Piſanorum. Hoc monumentum Ugonem ipſum Archiepiſcopum anno Domini 1267. excripſiſſe, & manu, ac sigillo ſuo roboratum ad Eccleſiam Piſanam trāſmiſiſſe, Piſani Chronologi adſtruunt. Hinc, qui res Piſanas deinceps tractarunt, narrationem acceperunt; et ne quis miraretur, cur Petrus tanto itineris errore ad occidentalis Italiæ littora ex Oriente deſcenderet, vi procellarum ex Campano ſinu in Libur. ni portum delatum, ibidem ad plures menſes hyemaſſe, undè acceperint, addiderunt. Ità Chronologus ille docet, quem ex veteri codice clariſſimi Caroli Strozzæ nuper eruditus Ughellius edidit. At ſi hæc ad veritatis lancem revocemus, Ugonis Archiepiſcopi ad Eccleſiam Piſanam tranſmiſſum monumentum quartum ante nos ſæculum non excedere, & Pantheon vocatum codicem vetuſtiſſimum non eſſe, deque primo Petri in Italiam adventu nequaquam locutum eſſe, inveniemus.

En tibi, lector candide tùm ex ſupradictis iàm editis annalibus, cùm ex antiquo penes me eiuſdem chronicæ exemplo, tùm ex Reipublicæ Lucenſis ſecretiori Tabulario quid-

quidquid Ugo Archiepiſcopus ex Pătheō excerpſit. *Beatus Petrus Apoſtolus primum Altare lapideum in Italia erexit, ſtatim cùm transfretavit circa littora Piſanorum, ubi hodie dicitur Eccleſia S. Petri ad Gradus, quam Eccleſiam poſtea conſecravit Papa Clemens Primus, qui dùm Altare marmoreum ibi Chriſmate illiniret, tunc de ipſius PP. naribus aliquæ guttæ Sanguinis diſtillaverunt ſuper ipſam Altaris menſam marmoream, ille Sanguis in eodem marmore uſquè hodie ità recens apparet, ſicut hodie nobis videntibus cecidiſſet, & habetur in magna veneratione. Hanc Scripturam ſupradictus dominus Archiepiſcopus exemplavit, & exemplatam ſecum detulit ſui ſigilli munimine in teſtimonium roboratam, anno S. D. MCCLXVII. Menſe Januarij.* Codicis verò Pantheon vocati antiquitatem Chronologus ità ſignavit, ut hiſtoriam continere fateatur *uſquè ad tempora Domini Papæ Gregorij VIII., & Friderici Romanorum Imperatoris primi.* Author igitur Pantheon, non modo undecimi Sęculi ætatem prędert, ſed cùm epocham anni 1187. proferat, poſt Friderici etiam tempora floruiſſe convincitur. At licet codex ille Baronium, alioſque Eccleſiaſticę Hiſtorię, quos viderim, ſcriptores latuerit, Archiepiſcopi tamen Ugonis fidem veneratus, nil aliud ibi aſſeri video, niſi Petrum Apoſtolum in littore Piſanorum, non quodcumque, non ex aggeſtis ceſpitibus, non ligneum, ſed primum altare lapideum, ac marmoreum in Italia erexiſſe; Quando verò? non utique in primo adventu, de quo Pantheon omnino ſilet, ſed ſtatim cum transfretavit circa littora Piſanorum, facile autem transfretavit, vel cum Italiam Roma diſcedens

dens peragraret, aut cum ex Urbe ſub Claudio, Judæis tumultuantibus, pulſus, Africam, & Hiſpaniam meditabatur, fortaſſe etiã dùm, authore Metaphraſte, Mediolanum pergeret. Neque tamen quia hæc ità ſint, reliqua, quę ab eodem Piſano Chronologo ſubnectuntur, ſine diſcuſſione ſuſciperem; dùm enim ad Ugonis monumenta Apoſtolorum Principis hiſtoriam contrahit, dubiæ fidei ſuſpicione laborat, *Petrus, inquit, poſtquam Antiochenam fundavit Eccleſiam ſub Claudio Cæſare contra Simonem magum Romam Domino ſibi jubente perrexit, ſed divina cooperante gratia devenit Piſas, priùs tamen in Arni flumine, & quando hyems imminebat ibi, hic manere diſpoſuit, in quo loco cum per menſes moram feciſſet, ad gradus maris Eccleſiam conſtruxit, quæ poſteà in eius nomine à Clemente ipſo eſt dedicata. Deinde multis comitantibus diſcipulis Marco, Apollinare, Martiale, & B. Dionyſio, aliiſque quam plurimis Romam perrexit &c.* Quibus verbis multipliciter nobis Chronologum impoſuiſſe ſuſpicari licet, primùm dum à ſyngraphe Ugonis Archiepiſcopi recedens, non aram lapideam à Petro in Piſano littore conſtructam aſſerit, ſed Eccleſiam, deinde cum & Iſidori Hiſpalenſis de vita & morte ſanctorum novi teſtamenti hiſtoriam totidem verbis excribens minùs fideliter laciniam de adventu eiuſdem Apoſtoli Piſas interſuit, & præcipuè addidit, *antequam Romam pergeret*, ſed inſuper cum B. Dionyſium primi itineris ſocium, quidquid de Martiale ſit, contra omnem hiſtoricam veritatem admiſcuit. Hìc autem candidum lectorem monitum velim, adductum Chronologum, quamvis in hiſto-

ria

ria ſui temporis non ſpernendum eſſe fatear, antiquum tamen non ità eſſe, ut in tàm vetuſta narratione calculum ex ſe ferre poſſit. In meo enim codice non Anonymus, ſed Michael de Vico Piſanus Canonicus expreſsè dicitur author, quem non modò hiſtoriã ad annum MCLXXVIIII. ut in edito apud Ughellium exemplo, ſed ad annum uſque 1269. perduxiſſe, & anno 1371. omninò librum exaraſſe patet. Vidit fortaſſe Chronologum de primo in Italiam Petri ad Piſanorum littora accedentis itinere incongrua aſſerentem Coſtantinus Abbas Cajetanus, & licet aliquandò eiuſdem Chronici fragmenta in Gelaſij ſecundi Commentarijs Piſanorum ſtudioſiſſimus inſerta probaverit, Petri tamen per Tyrrhenum mare Piſas contendentis iter non utique in annum 44. aut 45. repoſuit, ſed poſtquam Roma ſub Claudio expulſus fuit, ad annum Chriſti qninquageſimum primum. Quod magis cum his, quę in m. ſs. codice S. Petri ad Gradus Piſanos ſe vidiſſe teſtatur Vitalis in Corſicæ Sanctuario, hoc eſt Petrum non Romam proficiſcentem, ſed redeuntem Liburnum appuliſſe, atque indè ſolviſſe, verba illius manu exarati codicis ſunt, *Inſulas inviſit & occidentis plagam per luſtravit, Galliam, Hiſpaniam, indè Africam, poſteà ex Africa Romam rediit*, quod idem eſt ac dicere, non antequam Romanam cathedram fundaſſet, neque primo ſtatim in Italiam adventu, ſed cum vel exulans, vel ſpontè Italię & reliquas Orbis regiones Roma diſcendens peragrare ſtuduit, *ſæpe enim*, inquit D. Epiphanius Hær. 27. *Apoſtoli ex Urbe ad alias terras ablegaban-*

bantur, Paulus enim in Hiſpaniam profectus eſt, Petrus verò ſæpè Pontum & Bithyniam viſitavit. Quæ verò ibidem de prima Piſanorum ad Petri prædicationem ſuſcepta Chriſtianitate, deque Perino Epiſcopo Abbas Cajetanus, nullo præter morem indicato authore, addidit, ex Tajolo & Roncionio, ut arbitror, mutuatus, minùs conſtare ſentio, & facilè dilui poſſe non dubito. Etenim præterquamquod ex decantato Baronij axiomate, *quod à recentiori authore de rebus adeò antiquis ſine alicujus vetuſtioris authoritate profertur, contemnitur.* Jam ſupra monuimus neminẽ ante Roncioniũ ex Piſanis Hiſtoricis de Perino Epiſcopo meminiſſe, & Tajolus licet Piſanorum plurimos à Petro prædicante baptiſmate ablutos doceat, de relicto tamen Perino, vel quovis alio Epiſcopo ne verbum quidem. At Roncionium quoque ipſum in eadem Perini narratione nutantem Hetruſca ipſius verba docent, *la qual coſa jo non poſſo approvare per vera non havendo autorità da approvarla.* Neque id Ughellio de Piſana Metropoli ſcribenti, cui Perinum Epiſcopũ, & Chriſtianitatem Piſanorum probandi onus Cajetanus quodãmodo eodem loco impoſuit, arriſiſſe video; Quamquam enim primum in Catalogo Piſanæ Eccleſiæ Antiſtitem repoſuerit, addidit tamen, *de Perino in antiquis monumentis nulla extat certa memoria*, & à Gaudentio ſub Melchiade anno tãtum 313. Piſanorum Epiſcoporum aciem orditur. Quin etiam addere poſſum ex Ugonis Archiepiſcopi monumentis & vetuſtis annalibus, quòd Eccleſiam S. Petri ad Gradus, ſive ab ipſo Petro, ſive à Piſanis Chriſticolis conſtru-

ſtructam, *poſteà conſecravit Papa Clemens primus*. Quandoquidem magna hinc ſuſpicio emergit, nullum tunc Epiſcopum Piſanum extitiſſe, qui eam conſecrare valeret, idque magis ſi ad inſignis miraculi neceſſitatem confugiendum eſſet, quod Bartholomæus Spina B. Clementi contigiſſe retulit in quęſt: de ſtrigibus. *Cũ enim miſſam Romæ celebraret ſtatim obdormire viſus eſt, & poſt tres horas ad ſe ipſum reverſus, ut videbatur, excuſationem populo attulit, quod juſſu B. Petri ſibi neceßarium fuit illo temporis ſpatio Piſanam Eccleſiam, quæ D. Petro dicata fuerat, conſecrare*. Nemo autem ſibi fortè ſuaderet, cum de Paulino Lucenſibus à D. Petro certo certius dato Epiſcopo conſtet, tum ex eiuſdem ſepulchro & lipſanis Lucæ publicæ venerationi expoſitis, tùm ex Romanæ Eccleſiæ Martyrologio, Piſanis etiam, non niſi per decem millia paſſuum ab ijſdem diſtantibus, in primis vagientis Eccleſiæ crepundijs, & alium ſuper inductum fuiſſe Epiſcopum, cuius neque certa extet in antiquis memoria, neque adhuc, ubi in corpore requieſcat, oſtendi valeat; At Perinum martyrem ſiquis nobis obijciet, cujus corpus in eadem D. Paulini Baſilica apud Lucenſes requieſcat, & hũc Piſanum Epiſcopum eſſe contendet; fatebor & ipſe, dummodo ex antiquis monumentis aliquid de infulato martyre veritati proximum afferatur, *Nihil enim*, ex Epheſini Concilij decreto affirmare placet, *ultrà licere novitati, quia nihil adijci convenit vetuſtati*: fateor interim libentiſſimè in eadem Eccleſia S. Paulini Lucenſis inter martyres ibidẽ ſervatos appenſum indicem Pierinum oſtendere in hoc

ta-

tamen de Epiſcopatu nihil additur, neque à pluribus SS. matyrum oſſibus, quæ in magna majoris aræ lapidea arca clauduntur, ſejunctim Pierinus excolitur, cujus neque in antiquis S. Paulini, aut B. Antonij presbyteri actis, neque in alio Lucenſis Eccleſię monumento aliud invenire licuit. Extat enimuerò propè eamdem S. Paulini Baſilicam antiqua ad occidentalem plagam, paruaque Eccleſia, quę vulgò S. Pierini dicitur, & in qua ſub eodem nomine pia laicorum ſodalitas feſtis diebus ſacras ſynaxes peragit, at diminuto à Petro nomine, ut ab alijs Apoſtolo dicatis in Lucana Urbe pluribus Eccleſijs ſacra illa ædicula ſejungeretur, Sancti Pierini appellatam fuiſſe ſcio, tùm ex antiquioribus tabulis, quæ Eccleſiam S. Petri Sericajoli paſſim nuncupant, tùm ex eiuſdem ſodalitatis in Apoſtoli Petri nomine erectæ monumentis, tùm ex ipſius ſacræ ædis imaginibus D. Petrum Apoſtolum non alium martyrem, aut Epiſcopum indicantibus.

At quidquid de Perino ſit, qui Piſis à Petro baptizatus dicitur, deque ejuſdem Apoſtoli in Piſano agro prædicatione (Aram ut infra excipio) nullum ante Paulinum Piſis fuiſſe Epiſcopum affirmare audeo, quinimmò Piſanorum ad Chriſtum converſionem, quidquid Rõcionius, & Tajolus, reliquique ex his ſcriptores aſſerant, non niſi poſt Torpetem accidiſſe ex probatis monumentis invenio. Jàm & ipſe Rõcionjus manuſcriptos authores profert, qui Torpetem à Petro per baptiſmum regenitum narrent, atque eiſdem pro Hierarcha relictum affirment, quanquam in

in-

in certum feratur, an Perinum potiùs ſuſcipiat, ex vernaculo autographo verba adducere libet, ut quanta eidem fides adhibenda ſit, deinceps innoteſcat. *Vogliono alcuni autori, che non ſono alla ſtampa, che Pietro entraſſe in Piſa, e che eßendovi raccolto amorevolmente, vi predicaſſe, e che convertiſſe gran numero di gente, e che ſi partiſſe, battezzato che l' hebbe, laſſando capo di loro Torpete huomo ſantiſſimo, & altri dicono Perino ajutami Chriſto di nazione Greco.* Hos non minùs de Perino, quam de Torpete dubia fide teſtes Roncionius adduxit. At ſicuti D. Torpetem Piſanum protomartyrem humillimè deveneror, ejuſque ſanguine fœcundatam Piſarum Eccleſiam, alios martyres, ac ſanctitate conſpicuos cives cœlo genuiſſe venerabundus ſuſcipio, ità eodem tempore cum Torpete plures fuiſſe Piſis Chriſticolas Petri prædicatione inſtitutos, eiuſdem protomartyris acta prorſus me vetant affirmare. Exſtant hęc ab Artemio dictata, tùm Lovanij edita, tùm penes Mombritium, & Hetruſca lingua apud Razzium, tùm perantiqua, ac manu exarata in Lucenſium Canonicorum bibliotheca, tùm etiam contracta in Adonis martyrologio: in his omnibus non à Petro eruditum Torpetem legimus, ſed B. Antonij diſcipulum ab eodem baptiſmo regenitum fuiſſe dignoſcimus. Adonis referre verba primùm libet. *Hic magnus in officio Cæſaris Neronis fuit, & à B. Antonio baptizatus, & in fide Chriſti eruditus eſt.* Deinde ea referre, quæ de Piſanæ gentis in fide profectu, ac numero proſtant in ejus actis. Angelus itaque Torpetem ab Antonij baptiſmo revertentem ità apud Razzium

Hetruſco ſermone affatur, & *in queſta Città non è ancora ſta to trovato huomo, il quale ne anche una ceffata babbia riceuuto per Chriſto, ò habbia riguardato il Cielo per la giuſtizia*; A quibus ne latum quidem unguem latina tùm edita, tùm hædina autographa diſſident, *non eſt in hac Civitate inventus homo, qui pro Chriſto alapam ſuſcepiſſet, vel pro juſtitia cœlum intuitus eſſet*. Sed & Torpes idem gratias Deo agens ſubdit *quia me ſolum elegiſti in hac Civitate confidere in te*, quis aut in Urbe, in qua nemo juſtitiã ſequebatur, & in qua ſolus Torpes in Deo fidem poſuerat, fidelium turbam agnoverit? Manifeſtum utique eſt quantùm Piſani Hiſtorici in Piſanorum per Petrum Apoſtolum numeroſa converſione ab Artemio Torpetis ſcriptore diſſideant, cùm is Torpetem Neophitum Romę inter martyrum agones in Chriſtum primò credidiſſe, mox in Piſano agro ab Antonio presbytero baptiſmali unda luſtratum referat, quando non plures, ſed nullos in Piſana Civitate fideles tunc fuiſſe manifeſtè oſtẽdat.

Quo verò tempore Torpes ab Antonio eruditus, ac baptizatus fuerit, quod idem eſt, ac quo tempore palmam acceperit, facile eſt ex ijſdem actis colligere. Ità in his inclytus martyr Neronem alloquitur. *Audi me Imperator, quia ego de eorum genere ſum ſanctorum, qui à fidelibus tuis Romæ paſſi ſunt, quos coronatos vidi per manus Angelorum*. Igitur cùm iam furente Romæ perſecutione & poſt coronatos martyres, & ſi publicè fidem profeſſus ſit Torpes, non tamen baptiſmum ſalutis accepiſſet, cum ad Antonium in mon-

te

te Piſano abſconditum baptizandus deindè acceſſiſſet, & paulo poſt acceptum baptiſmum agonem conſumaverit, certum eſt, hęc omnia non ante primam Neronis perſecutionem accidiſſe, hoc eſt non niſi poſt annum ſexageſimum ſextum, vel potiùs, ut Baronio placuit, ſexageſimũ nonũ. Antè annũ ergò Chriſti 69. aut ſaltẽ 67. ignota Chriſti fides Piſis erat, ſoluſq; Torpes fidelis dicebatur, nõ quòd primum fidei lumen Piſis Torpes acceperit, ſed quòd Romæ potiùs præcipuo Dei munere in ſupremo agone coronatos ab Angelis martyres inſpiciens, fidem illam conceperit, quam per baptiſmum aquæ & ſanguinis Piſis deindè confirmaverit; ſicut igitur Torpes non modo primus Piſanorũ martyr, ſed Chriſtianus à B. Antonio presbytero, qui furente jam in Thuſcia Neronis gladio abſconditus in monte Piſano morabatur, Neophitus inſtruitur, ac baptizatur; Ita cõſentanea magis erunt veritati ſi Piſanos potiùs ab Antonio Presbytero, & Heremita baptiſmum, ac fidem ſuſcepiſſe dixerimus, quam à Petro Apoſtolo, de cujus ad Piſanos prædicatione antiquiora ſilent monumenta. Quis autem B. Antonius presbyter fuerit neminem in Thuſcia latere arbitror, quippe omnes S. Paulini diſcipulum, ac coadiutorem fuiſſe confitentur, & præter Razzium, ejuſdem S. Paulini acta de eo ità memoriæ tradant; *In ipſa etiam Civitate cum B. Presbyteris Severo, & Antonio, quos quidem ipſe B. Epiſcopus Sacerdotes conſecraverat, ſeptẽ Eccleſias Domino dedicavit*, & infra, *Hoc audiens glorioſus Chriſti confeſſor, & presbyter ſenex Antonius, qui tunc in montibus,*

qui ſunt inter Lucam, & Piſas, vitam agebat ſolitariam, venit noctu &c. Quandò nimirùm corpora S. Paulini, & ſociorum Lucam ad ſepulturam tranſtulit. Hæc omnia fuſiùs repetuntur in ejuſdem S. Antonij vita, quæ in hædino codice ſacrarij S. Paulini ſervatur, & à Franciotto mutato dũtaxat ſtylo edita etiã proſtant. Si ergò Antonius Paulini diſcipulus Torpetem primum ex Piſanis fidelem erudierat, jàm Piſanã Eccleſiã, non niſi poſt Paulini prædicationem ex ipſius diſcipulo Antonio primordia ſuſcepiſſe apparet. Quòd enim Petrum ad Piſanorum littora vi tempeſtatis tranſvectum, ad Arni quoque fauces ſacris operatum lapideam aram conſtruxiſſe ſuperiùs allatum monumentum narret, non indè tamen Piſanos fidem tunc temporis ſuſcepiſſe convincitur. Poterant enim, & ſocijs miniſtrantibus ab Apoſtolo ſacra peragi myſteria, poterant & Paulinus, & Lucenſis Eccleſiæ jàm fundatæ primitiæ per Auſerem antiquitùs navigabile flumen, & ad Gradus in Piſano agro cum Arno ipſo confluens facile Petro occurriſſe, abſque eo, quòd Aram lapideam Piſanorum frequenti Chriſtianitati poſitam fuiſſe contra Torpetis vetuſta acta affirmare cogamur. Nec tamen Piſanorum pietati, ac eorumdem, quam maximè veneror, Eccleſiæ decus ablatum velim, quòd primam apud eos lapideam Arã Petrus conſtituerit, primumque in Hetruria incruentum Deo ſacrificium obtulerit, quamquam enim, non in primo, ſed alio Apoſtoli per Italiam itinere id accidiſſe cum alijs exiſtimarim, non ideò tamen minimum reputavi

tavi, quòd Christi Vicarius, non tumultuariam, ac cespiticiam, sed stabilem, ac lapideam Aram ibidem primum construxerit, eam scilicèt, quæ alijs postea construendis norma esset. Hoc & non aliud Ugonis Archiepiscopi monumentum affirmat, dùm ex codice vaticano retulit, *quod B. Petrus Apostolus primum Altare lapideum in Italia erexit, Statim cum transfretavit circa litora Pisanorum.* Nequis autem putet minimi decoris pro Hetrusca, & Pisanorum prima Christianitate rem esse, quòd vivens ipse Petrus, non ex temporaneum, ac portabile altare, sed marmoreum, ac perenne in ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs ibidem erexerit, audiat in oratione de laudibus Constantini ità disserentem Eusebium. *Et si B. Sylvester in consecratione Altaris Principis Apostolorum decreverit, ut deinceps, non nisi ex lapide altaria ædificarentur, tamen Basilicæ Lateranensis altare fuit è ligno erectum; Nam cum à S. Petro usque ad Sylvestrum propter persecutiones necessitas cõpulisset, sive in cryptas, sive in cœmeteria, sive in ædes piorum, super illo altari ligneo ad arcæ similitudinem concavo sacra faciebant. Quo altari S. Sylvester reddita Ecclesiæ pace honoris causa Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur, & reliquorum Pontificum, qui usque ad id tempus ad mysteria conficienda eo usi fuerant in Lateranensi prima Ecclesia collocato, sancivit, ne quisquam in eo præter Romanum Pontificem missam demceps celebraret.* Ut hinc manifestè pateat, nec Romæ S. Petrum altare lapideum construxisse. Quantum verò Deus altare illud in Hetruscæ pietatis monumentum foverit, miranda per Clementem consecratio, guttæque

san-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſanguinis magis, quàm lapis ipſe perennes adhuc fidelium oculis expoſitæ ad noſtra uſque tempora, ſanctè ſervatum abundè teſtantur. Quandoquidem & Diocletiani rabie cunctis ferè Chriſtianorum aris, & Eccleſijs ità dirutis, ut Cypriani ad Demetrianum teſtimonio *Dei altaria, vel nulla ſuo tempore fuerint, vel occulta*, adhuc & ara, & ſuper ſtructa mox à priſcis fidelibus Eccleſia perſiſtat, ſingularem Dei in Hetruſcam Chriſtianitatem arguat providentiam.

Prima Cluſinorum, ac Collenſium per Apollinarem, & Martialem à recentioribus inducta Chriſtiana Fides expenditur, & Senenſium per Anſanum aſſeritur &c.

CAP. II.

CUM ergò, non primo in Italiam adventu, Hetruſcum littus Petrus tenuerit; neque ante Paulinum Piſanos Chriſti fidem ſuſcepiſſe conſentaneum ſit; dùm Vvarnefridus in Epiſcoporum Metenſium Chronico teſtis inter antiquos eſt, quòd, *cum Petrus Romam perveniſſet; illicò, qui ſummas quaſque Urbes in occiduo poſitas, Chriſto domino per Verbum fidei ſubiugarent, optimos, eruditoſque viros ex ſuo conſortio direxit*, inquirendum nobis erit, quis ex Petri commilitonibus primus in Thuſciæ civitatibus Evangelij buccinã

in-

intonuerit. Præter Ptolomæum, ac Romanum ad Hetruriam citeriorem, ſeù ſuburbicariam, & Paulinum, Frontonem, ſeù Frontinum, Creſcentem, Dulciſſimum, ac Romulum ad Hetruriam ulteriorem, ſeù Annonariam, neminem primo ſtatim tempore miſſum neque à vetuſtis, neque à recentioribus ſcriptoribus recenſeri invenio. Cum verò noviſſimè nonnulli, ut Patriæ ſuæ Eccleſias ad Apoſtolicum æuum extollerent, primam in Hetruria prædicationem Apollinari indubio, & Martiali minùs certo Apoſtoli Petri diſcipulis adſcribere laboraverint, in his erit mihi pro veritate immorandum. Vidi nuper B. Apollinarem Galliæ Togatæ Apoſtolũ à Ribadenera ex Hiſpanica in Hetruſcam linguam converſo ità in ſuo de vitis SS. libro poſt Ravennates Cluſinis Præcurſorem dari. *In capo di ſei meſi un Gentilhuomo molto principale, che haveva nome Bonifacio, & era nella Città di Chiuſi in Toſcana perdè repentinamente la favella. Queſti havendo inteſo le meraviglie, che Dio operava per Apollinare, e che egli era ancor vivo, lo pregò che andaſſe da lui, & egli vi andò, e lo ſanò, per li quali miracoli Bonifacio, & altre cinquecento perſone ſi convertirono alla fede di Chriſto.* Pergit deindè Gentilium iras in Apollinarem narrare, & quòd extra Cluſium in mapalijs immoratus, *predicava à quelli che andavano à trovarlo, e dava il Batteſimo, onde la fede di Chriſto ſi dilatava, e creſceva; indi paſsò nell' Emilia.* Hìc igitur perlegens, ad Ribadeneram, pij, ac eruditi ſcriptoris nomen aliquandiù ſubſtiti; donec, ex Hiſpano authographo monitus, non Petri Ribadeneræ verba, ſed Hetruſci

ſci interpretis, vel potiùs ſcioli alicujus impreſſoris eſſe, qui nomen Urbis Claſſis dudùm propè Ravennam conſtitutæ, & quæ in actis S. Apollinaris legitur, & à Rubeo in hiſtoria Ravennate memoratur, in Cluſium ineptè verterit, proprio malè tamen ſano cerebro in Thuſcia Bonifacij miraculum tàm ſtulto miraculo tranſtulerit, ut in eo refellendo vana temporis jactura dolenda eſſet. Non me latet Galeſinum in ſuo Martyrologio authorem eſſe, Apollinarem Ravenna pulſum, Æmiliam, & Thuſciam prędicando peragraſſe, ſed contra fidem Romani Martyrologij, & omnium antiquorum ſcriptorum Thuſciam addidit, & anſam errandi recentioribus præbuit. Cluſinos quidem vetuſtiſſimum Thuſciæ ex inſigni Civitate Populum ab aliquo ex Apoſtolicis viris edoctos, non difficile crederem, ex hoc tamen capite ab Apollinare eruditos incongruum eſſe affirmare, non dubito. At longè pluribus ambagibus implicatur, quæ Martiali alteri Petri ſocio, & Lemovicenſium Epiſcopo Hetruſca à recentioribus jungitur prædicatio, neque enim apud antiquos Martialem in Thuſcia prædicantem invenire contigit. Collenſes inter Senas, Volaterraſque ad Elſam fluvium conſtituti nuperę Civitatis incolæ coævam Paulino prædicationem à Martiale, & ſocijs ſuſcepiſſe gloriantur, quin, ut audio, & ſepulchrum ibidem ſuſcitati Auſtricliani, & Crucis Dominicæ clavum ab eodem Galliæ Apoſtolo apud ipſos relictum oſtendunt. Horum nobiliora monumenta in Florentina Metropoli, ac Collenſium Epiſcopis nuper digeſ-

ſit

ſit de Italicis Eccleſijs optimè meritus Ughellius, at quibuſdam potius coniecturis, & incertis gentis illius narrationibus innixus, quàm antiquo aliquo ſcriptore ſuffultus. Gratianum ibi, ſeu Gracchianum oppidum, ſive à Gracchorum Romana gente, ſeu à Gratianis populis Coloniam deductam coniectatur, cum & Neronis tempore celeberrimum fuiſſe referat, & nobilis, ut ipſe inquit, Collenſiũ pagus indè per ſucceſſiva tempora defluxerit. Ibi maximũ à Martiale patratum prodigium, Auſtricliani nempe, baculo Petri Apoſtoli poſt quadrageſimum diem, ſuſcitati addit, & tam Florentiæ, quam Senis, plures Gentiles deſerto Idolorum cultu, Chriſtianis ſacris initiatos, ac in fide firmatos narrat, ac tandem illius miraculi Gracchiani editi, authores cumulat Aurelianum Martialis in Epiſcopatu ſucceſſorem, fragmentum hiſtoriæ Aquitanicæ, ac Baronium ad calcem anni ſeptuageſimi quarti. At quidquid ſit de antiquitate, & celebritate Gratiani, aut Gracchiani oppidi, quod tamen doctiſſimum Clverium de vetuſta Italia ſcribentem, ac alios etiam minoris nominis latuiſſe video; illud affirmare audeo, neque Baronium, neque Aurelianum, neque hiſtoriæ Aquitanicæ fragmentum de Martialis in Thuſcia prædicatione pro re noſtra agere; & quamquam idem Ughellius tempus Gracchiani ad fidẽ converſi ſignet annum Chriſti ſeptuageſimum quartum, longè poſt primam in Thuſcia prædicationem, cum tamen idem prorſus annus Martialis obitu notabilis Baronio numeretur, & ejuſdem progreſſio in Galliam in S. Mar-

tialis hiſtoria anno tertio, vel quarto Claudij ſtatuatur; hoc eſt quadrageſimo ſexto, vel ſeptimo humanæ ſalutis, eodem tempore ſcilicet, quo Paulinus fidē in Hetruriā intuliſſe perhibetur, res mihi eſt altiùs repetenda.

De Martialis actis nullum vulgò vetuſtius extat monumentum, quam hiſtoria illa, quæ ſub Aureliani in Epiſcopatu Lemovicenſium ſucceſſoris nomine circumfertur, ex hac omnia fluxiſſe, quæ de S. Epiſcopo recentiores proferunt, certiſſimum eſt. Quantum verò ponderis hiſtoria hæc apud eruditos habeat, paucis adnotabo. Baronius neque illam, neque epiſtolas ſub Martialis nomine, non multò ante editas prorſus reijcit, ſed eam in aliquibus corrigit, has ſuſcipere nutat, & ſi quando teſtes adducit, ut ad annum 34. num. 306. *qualeſcumque ſint*, cautè addit. At Bellarminius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis has apertè repellit, quòd *multa ſint, quæ eas epiſtolas ſuppoſititias eſſe indicare videantur*, & poſtquam aliqua enumeravit addit, *multa ſunt alia, quæ his epiſtolis fidem detrahere videntur*. At eadem multa etiam in Aureliani hiſtoria ejuſdem prorſus farinæ extare certum eſt, ut mirandum non ſit Aurelianum ab eodem Bellarminio in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum fuiſſe prætermiſſum. Jàm Molanus ad Martyrologium Uſuardi in Aurelianum cenſuram induxerat, & Joannes Heſſels theologus Lovanienſis, non placere *propter valdè multa* ſcripſerat, & non nulla cum divinis ſcripturis pugnantia, alia *ridicula* eſſe docuerat: ſed inſuper eruditus Anonymus, qui nuper ad antiquitates Hetruſcas obſer-

ſervationes edidit in quorumdam apochryphorum hiſtoricorum recenſione ità de epiſtolis, & hiſtoria Martialis eruditorum communẽ calculum profert. *Idem accidit duabus illis epiſtolis Martialis Epiſcopi Lemovicenſis, ac Burdegalenſis, ac Tholoſani; Ejuſdem vitam per Aurelianum figmentum quoque eſſe apud doctos in confeſſo eſt.*

Ex hoc utique lutulento fonte ſuſcitati Auſtricliani ad Elſam prodigium manaſſe conjectari licet, cum & ibidem recenſeatur, & vetuſtior ſcriptor de S. Martialis vita, non proferatur. At mirum, quomodò ſuſcitati ſocij miraculum Petri baculo, ab alijs authoribus Martiali non adſcribatur, ſed vel in Galliam proficiſcenti Frontoni, vel in Germaniam abeunti Eucherio! Immò quomodo à mortuis excitatum, non Auſtriclianum, ſed vel Georgium, vel Gregorium, vel Matthæum, vel Maternum dicant? Uſuardus, Ado, Notcherus ſunt, qui Frontoni, non Martiali prodigium ſuſcitati Georgij adjudicant, quibus conſentire videtur Epiſcopus Equilinus in Catalogo. Eucherio idem tribuit Petrus venerabilis, Eucherio & Valerio Nauclerus, qui Maternum condiſcipulum docet ab ijſdẽ Petri admoto baculo ſuſcitatum, non poſt tres dies itineris, ut idem Equilinus habet, & non ad Elſam flvvium, ſed poſt trigeſimum tertium itineris diem apud Argentinam. Profert hujus rei argumentum, quòd Apoſtolici baculi ſuperior pars apud Colonienſes, inferior apud Trevirenſes adhuc ſervatæ oſtendantur; Quod & Merſeus confirmat in Epiſcopis Colonienſibus, & Trevirenſibus, & quã-

vis eadem ſine nomine, vel Martialis, vel Frontonis, vel Eucherij hiſtoria ab Innocentio referatur in decret. extra de ſacra unctione, & Gloſſa Martiali prodigium adſcribat, Matthæum tamen excitatum, non Auſtriclianum affirmat, & in Germaniam abeunti, non Hetruriam peragranti aſſignat. Profectò in tanta ſæculorum caligine, ac minùs ſinceræ hiſtoriæ ſuſpicione, in tanta ſanctorum, quibus miraculum adſtruitur varietate, jure ſanè cordatus lector hæſitaret non parùm, niſi & recentioris aſſertionis apud Collenſes trepidationem augeret S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. Is primùm nutans an Martiali, vel Frontoni ſuſcitati per Petri baculum ſocij prodigium adſcriberet, dùm tamen Martiali redivivi ſacerdotis, & ſocij gloriam defert, in eo à Collenſibus diſſentit, quòd non in Hetruria, & apud eos accidiſſe narret, ſed prorſus in Gallia. Jvvat hìc S. Scriptoris verba recenſere, cum nec ab ejus Eccleſia longiùs tunc Collenſe oppidum diſtaret, nunc verò in Epiſcopalem Sedē erectum in eadem Metropoli numeretur. Tàm enim propinquæ gentis, vel prodigium, vel præcocem Chriſtianitatem ignoraſſe vix dici poteſt, ſicut livore afflatum ſilviſſe impium eſſet aſſerere. *Cum autem*, inquit S. Antoninus, *proficiſceretur Martialis per Galliam, uno ex ſocijs ſibi à Petro deputatis ſacerdote in via mortuo, reverſus eſt Romam narrans caſum, cui Petrus baculum ſuum dedit, ut poneret ſ. per ſepulchrum defuncti, quo facto ſtatim ſurrexit defunctus, & propterea dicitur Papam, non uti baculo paſtorali, quia primus Petrus eum conceſſit Martiali, qui*

in

in quadam Eccleſia ibi reſervatur. Hæc, quæ S. vir adfert ab his, quæ ſcripſit Aurelianus, parum abhorrent, multùm tamen diſtant ab his, quæ de Elſa flvvio, deque Gracchiano, aut Gratiano oppido memorantur, dùm Auſtricliano *in loco, qui Elſe vocatur* tantummodo aſſeratur accidiſſe, *cum cœpti itineris maturitate viam Martialis, ac ſocij conficerent*. Elſam verò locum in Gallia fuiſſe, non parvum Hetruriæ flumen is facile ſuſpicari poſſet, qui in Aquitania, qua itur Roma per Narbonam Lemovicum, facile Elſam, ſive Eluſam fuiſſe ſciat *la Ville d' Euſe en Gaſcogne*, quam Elſam ab indigenis pronunciari adnotavit Joſephus Scaligerus, & in lectionibus Auſonianis, & in notitia Galliæ. Verùm enim verò concedamus locum Elſæ oppidum fuiſſe propè Elſam Thuſciæ flumen, ex cujus ruderibus nova Collenſis Civitas emerſerit; Undè tamen prædicatio ad Senenſes, & Florentinos, moraque ibidem ad fideles baptizandos, & in fide erudiendos hauriatur, nequaquam video. Quòd enim (ut eruditiſſimi Baronij repetam axiomata) à recentiore authore de rebus adeò antiquis ſine alicujus vetuſtioris authoritate profertur, contemnitur. Proculdubio Hetruſcæ hujus prædicationis fama Florentinæ gentis, non minùs, quam Senenſium antiquiores hiſtoricos hucuſque latuit; Collenſes enim, non dùm vetuſtos novæ Civitatis chronographos antiquæ traditionis teſtes videre contigit. Neque id proficiſcentis in Galliam Martialis iter per Thuſciam ſuadere poteſt. Præterquam enim, quòd omnes Eccleſiarum origines pervertendo de omnibus, quò gradiebã-

tur

tur locis Apoſtolorum diſcipuli idē aſſerere unuſquiſque poſſet, luce ipſa clarius eſt gentium ad fidem converſionem peculiari S. Spiritus monitu eveniſſe, non itinerum opportunitate, nam & Paulus, & Barnabas in actis Apoſtolorum 16. pertranſeuntes Phrygiam, & Galaticam regionem loqui verbum in Aſia à Spiritu Sancto prohibiti ſunt, & in Myſiam profecti, dùm per Bithyniam ire tentarent, ſpiritus eis non permisit. Cum igitur de Aureliano dicatur, *quòd apparvit Dominus Beato Petro anno ſecundo poſtquam venerat Romam, & monuit eum, ut dirigeret* B. Martialem ad prædicandum Provincijs Galliarum, jàm non ad Hetruriam miſſum conſtaret, ſed ad Gallos. At inſuper conſtat in prima Epiſcoporum Apoſtolica miſſione neque Senis, neque Florentiæ promulgatum fuiſſe Evangelium. Quod cum de Feſulanis, & Florentinis docendū ſit, hìc adnotare ſufficiat, Senenſes ad annum uſque ſalutis ducenteſimū nonageſimū ſextū Chriſti fidem ignoraſſe. Ità ex actis S. Anſani vocati prę curſoris, & Apoſtoli clariſſi mè liquet; licet Ughellius, nullo indicato authore, in Metropoli Senenſi Martialis apud ipſos prędicationē repetat. Hiſtoriam ex antiquis m. ſs., ac præcipuè ex originali penès ejuſdem S. Martyris ſodalitatem vulgavit Joannes Baptiſta Gorus. Is non longè ab initio de S. Protectoris veneratione ità ad Senenſes materna lingua differit. *Niſſun ſegno maggior di gratitudine ſe li può moſtrare per eſſer egli ſtato il primo, che fondò nella vera fede la Città noſtra, e purgò con le Sante acque della parola Evangelica le anime noſtre dal peccato dell'*

Ido-

Idolatria, che manifeſtar la grandezza del dono, & infra de Anſani ad Senenſes adventu, *ſe ne venne à Siena, che fù l'anno dè la ſalute 269., quivi ſimilmente il demonio con l' inſegne ſpiegate ſopra de' portici, e ne tempij ſi faceva obedire tirannicamente come Signore tenendo tutto quel popolo per ſuo vaſſallo*. Collēſes autem inter Volaterras, & Senas poſitos decem circiter millia paſſuum ab utriſque diſtantes ante utramque Civitatem Evāgelium ſuſcepiſſe divinæ utique largitioni facile eſſet, humano verò captui difficile, etenim, ut mox conſtabit, neque Volaterrani, in quorum Diœceſi dudum Collenſes recenſebantur, à Martiale primam fidem ſuſceperunt, ſed prorſus & communi calculo à Romulo Feſularum Epiſcopo; ſin vero & ſuſpectæ fidei Aureliano, unde Martialis Hetruſca prædicatio ad recentiores defluxit, fides adhibenda ſit, non utique ante Galliæ ingreſſum prædicantem inveniemus Martialem, & quicumque locus Elſa ſit, ſivè Hetruſcus, ſivè Gallus, eundem ſummoperè in Gallias properantem nanciſcemur. Poſt ſuſceptam enim à Petro Apoſtolo miſſionem Martialis, *nec mora, juxta quod ei fuerat per B. Petrum à Domino injunctum arripuit, & cum cœpti itineris maturitate viam conficerent, contigit ut B. Auſtriclianus unus è comitibus migrarit à ſæculo in loco, qui Elſa vocatur, quo viſo beatiſſimus Martialis velociſſimo greſſu intrepidus Romam repedavit, nuncians B. Petro omnia, quæ ſibi in via acciderant, quem ille percunctatus dixit ad eum, quantociùs propera ſumpto batterio meo in manu tua &c.* & ne inutilia congeramus poſt pauca. *Cujus verbis credulus idem Beatiſſimus vix ſumpto batterio in manu ſua,*

per-

pervenit ad corpus, quo tacto membra, quæ calore ſanguinis fuerant viduata, extemplo redivivа redduntur, & infrà enarrato miraculo ſtatim. *Igitur B. Martialis cum diſcipulis ſuis permenſo tam magno terrarum ſpatio, erat prædicans ubique Seminarium verbum Dei; Ingreſſus itaque Lemovicinium &c.* Igitur quemadmodum, non niſi permenſo ingenti terrarum ſpatio, hoc eſt, non modo Hetruriæ parte, quæ ab Urde Roma tanta Orbis intercapedine nequaquam diſtat, ſed univerſa Italia, ac aliquibus Galliæ regionibus peragratis, prędicantem ubique verbum Dei legimus Martialem, ita de itineris celeritate repetitæ in ſupraſcriptis verbis formulæ, *nec mora, cum cœpti itineris maturitate, velociſſimo greſſu, quantociùs propera*, non utique ex itinere digredientem Martialem deſignant, ſed rećta via ad commiſſam ſibi Provinciam properantem, neque alibi ex divina ad Petrum dićta lege, niſi in Gallijs prædicantē, ut tàm brevi temporis momento, ſi ab Aureliano ſignatam Epocham ſequamur, omnem captum ſuperet.

At concedamus, ſi libet, Martialem in Hetruria Verbum annunciaſſe, nulla interim ſit ex ſcriptorum diſſonantia de Auſtricliano ad Elſam Thuſciæ ſuſcitato trepidatio, idemque prodigium non unum ſit, ſed multiplex, & à pluribus Petri diſcipulis Frontone, Eucherio, Valerio, varijs in locis perpetratum, Certa ſit (quæ tamen plurimis, & validis argumentis convellitur) cum Paulino coęvo Martialis ad Gallos per Thuſciam miſſio, ex his omnibus quid tandem educi poteſt? nil aliud niſi S. Martialem

per-

perfunctoriè in Hetruriæ aliqua parte, eodem tempore, quo Paulinus alijs Hetruſcis, non ruitura primæ Chriſtianitatis fundamenta jaciebat, verbum annunciaſſe, ſuſceptum verò indè ignorari, ex plurimis infrà dicendis, non modo non convinci, ſed omnino rejectum conſtare. Veràm ſunt qui non invalidis rátionibus Martialis in Gallia prædicationem ad recentiora tempora revocant, quàm quæ Pſeudoaurelianus docuerit. Non me latet Baroniũ Eccleſiaſticam veritatem ferè ſemper collimantem à Gregorio Turonenſi antiquo, & gravi Galliarum hiſtorico diſceſſiſſe, & inſignis erroris inſignem virum redarguiſſe, dùm Martialem tempore Decij Imperatoris, cum alijs cõmilitonibus in Gallias veniſſe affirmaverit. At omnibus nuper Galliarum evolutis bibliothecis, excuſſiſque Martirologijs, atque antiquioribus membranis ab Hilduino Abbate, ejuſque ante milleſimum, & poſt milleſimum annum ſectatoribus, jure aliqui verẽtur, oculatiſſimũ alioquin Baronium fuiſſe deceptum. Agitatur adhuc in Gallijs de duobus Dionyſijs acerrima quæſtio, & Martialis non apoſtoli, ſed confeſſoris tantùm Epocha ſub Decio antiquioribus monumentis ante Hilduinum acerrimè defenditur. Sunt aliqui pro Martialis apoſtolatu repugnantes, ſed quę contra adferuntur pro ejuſdem in Gallias miſſione non à Petro Apoſtolo, ſed ab alijs Romanis Epiſcopis validiora eſſe videntur. Adeſt in primis Severi Sulpitij ejuſdem Provinciæ, immò ejuſdem Eccleſiæ, quam S. Martialis ad fidem convertiſſe dicitur, incola, & Epiſcopus. Is integro

sæculo Gregorio Turonensi vetustior, dùm non æquè citò in Gallis, atque in Italia Martyrum agones cœpisse narrat, rationem etiam adducit, quia & seriùs ibidem sit suscepta Religio. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio persecutio quinta agitata, ac tũ primum intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Religione suscepta.* Vix autem credi potest Aquitanum genere, & Bituricensem Præsulem, qui summis laboribus historiam contexit, in suæ gentis facto ità turpiter fuisse deceptum, & tot fundatis à Martiali in sua provincia, & Ecclesia Basilicis, anno secundo postquam in Italiam Petrus fidem invexit, seriùs trans Alpes religionis susceptæ notam incurrere voluisse; eadem & de Gregorio dici possent in Ecclesiasticis suæ Galliæ historijs apprimè versato. His suffragantur perantiquæ S. Saturnini historiæ, & Ausonij Engolismensis ipsius S. Martialis discipuli acta, quę cum pro fide passum dicant sub Valeriano, & Gallieno ad recentiora utique tempora, & S. Martialē in fide præceptorem pariter retrahunt. Sunt antiqua Martirologia, in quibus nil de Martialis apostolatu, ac Petri sequela additur. Sunt schediasmata de duobus Dionysijs à Nicolao Fabro exarata. Est & assensus in Epocham Georgij, & Severi pro Rationario temporum Dionysij Petavij. Est ampla erudita de Martiale dissertatio Joannis Cordesij, quam parte secunda historiarum Gallicanæ Ecclesiæ Bosquetus inservit. Est Cardinalis Bellarminij confirmatio, quòd ideò epistolas Martiali adscriptas suppositicias inter cœtera existimat, quia ante tempus à Gre-

go-

gorio, & Sulpitio ſignatum, Valerium martyrem in Gallia referunt. Eſt denique acerrima de duobus Dionyſijs diſcuſſio Joannis de Launoij, in qua non tantùm Severi Sulpitij, & Gregorij Turonici Epocha adverſus Baronium, & Miletum, alioſque Hilduini ſectatores defenditur, & conſignata ſub Decio Martialis ætas ità propugnatur, ut antiqnorum quorundam, qui reclamantibus Galliæ Epiſcopis in Apoſtolorum cenſu Martialem repoſuerunt, fraudes detegantur, ſimul & ſtrenuè repellantur. Et quāvis aliquæ ſynodicæ Lemovicenſium circa decimum ſęculum ſanctiones, quæ Tom. 7. Conciliorum apud Binium indicantur, Martialis in Galliam à Petro apoſtolatui favere videantur, tamque in Gallicano Martyrologio, quàm de myſticis Galliæ ſcriptoribus, non improbabilia aliqua adferat Andreas de Sauſſaij, pro ſumma tamen, quam Romanæ Eccleſiæ debeo reverentiam, ſumma etiam erit mihi ejuſdem Tabularum authoritas. Præter quamquod enim tam in antiquo, quàm in recentiori Martyrologio, nil de Martialis in Gallias apoſtolatu, aut de Petri diſciplina continetur, apertiſſimè prima Gallicanæ fidei exordia Trophimo, non Martiali, addita etiam Zoſimi Papæ authoritate, tribuuntur. Libet hìc, quæ de utroque Epiſcopo Romana ſenſerit Eccleſia, recenſere. *Lemovicis in Gallia S. Martialis Epiſcopi cum duobus presbyteris Alpiniano, & Auſtricliano, quorum vita miraculorum ſignis admodum effulſit*, nec amplius de Petri ſequela, ac miſſione additur ad diem trigeſimam Junij, ſed quarto kal. Januarij primam per Tro-

phimum Galliæ Christianitatem ità Tabulis consignavit: *Arelate Natalis S. Trophimi, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus præfatæ Urbis primus ad Christi evangelium prædicandum directus est, ex cujus prædicationis fonte (ut S. Zosimus Papa scribit) tota Gallia fidei rivulos accepit.* Extat hæc Zosimi Papæ epistola tàm in Decretalibus numero quinto, quã apud Binium Tom. 1. Conc., & eidem consonat libellus oblatus ab Episcopis Provinciæ Leoni magno, Franco Fordiense Concilium, & Usuardus. Hæc autem ideò protulisse juvat, ut primã, & ingentem Gallorum conversionem, quàm Pseudoaurelianus anno tertio, vel quarto Claudij, S. Martiali minùs probabiliter tribuit, minùs arrisisse Romanæ Ecclesiæ pateat, quæ Trophimum in Gallijs primò prædicantem docet, ibique relictum à S. Paulo, dùm proficisceretur in Hispaniam designat Ado Viennensis anno quarto, vel quinto Neronis. Si ergò primus Trophimus Evangelicus Præco in Gallia fuit, ac id primo Petri Apostoli in Italiam adventu, jàm posterum Martialem in Lemovicas fidem transtulisse constat, seriùs trans Alpes Religione susceptã, hoc est ad antiquissimam Sulpicij Severi indefinitam epocham, post quàm intra Alpes Christianam fidem invexerant Apollinaris in Aemiliam, Paulinus in Thusciam, alijque aliò Veritatis lucem importarant.

Su-

Suburbicariæ ad Orientem Hetruriæ, Pentapolis Faleriæ, Nepetæ, præcipuè per Eutitium, Ptolomæum, ac Romanum ad Chriſtum converſio expenditur, ac obiter de Epiſcopis, non Neophitis eligendis Apoſtolorum decreta proferuntur.

CAP. III.

AGe verò Apoſtolicos viros peculiari munere Thuſciæ præcurſores inquiramus. Petrum cum Antiochenis ſocijs Hetruſcæ fidei prima jeciſſe fundamenta non dubito; hunc Romam ingreſſum ad Judæos contribules divertiſſe efficaciſſima ductus coniectura opinatur Baronius, prima etiam ſalutis verba Gentilibus in Tranſtyberina regione diffudiſſe, non eſt inconveniens. Neque ille Tranſtyberinam Urbem Thuſciæ partem eſſe negabit, qui ab amne Macra ad Tyberim Hetruriam olim extentam ex Strabone, Plinio, alijſque antiquioribus Geographis didicerit; quod igitur intra occidentales Tyberis ripas continebatur jàm Thuſcia erat. At quamquam & Urbis portio, & adiacentes in maximis ſuburbijs loci quoque plures in Hetruria vera numerabantur, non tamen communiùs Hetruria, ſed vel Romana, vel Urbicaria regio, & ſuburbicaria nuncupabatur. Hinc inter antiquos authores

res de limitibus Cajus, & Theodoſius Thuſciam in Urbicariam, & Annonariam diviſerunt; ſuperiorem, quaſi Romæ ſuburbium eſſet, ſuburbicariam appellarunt, aliam ulteriorem, nempe Annonariam. Ità Piſtorienſe oppidum Ammiano Marcellino in Annonaria Thuſcia, hoc eſt in ulteriori recenſetur, quod enim alijs urbibus territorium, hoc Urbi Romæ Urbicariæ, vel ſuburbicariæ regiones erant, intra quas Urbico magiſtratui jus dicere fas erat. Nec tantùm, quę in Romano ſuburbio oppida numerabantur, ſuburbicaria dicebantur, ſed ad centeſimum uſque lapidem Urbes, & oppida in ſuburbicaria Romana regione recenſebantur. Ità ex Caſſiodoro in formula Urbanæ prę-fecturæ, alijſque conſtat. Si quis igitur de prima Thuſcię Chriſtianitate diſſerens ſuperiorem Urbicariam, ac minùs propriè dictam Hetruriam ante annonariam, & ulteriorē ex Petro, ſocijſque fidem accepiſſe dixerit, non remorabor: Præſertim ſi Urbis ipſius Tranſtyberinam partem, ac ſuburbia ad occidentem poſita intelligat, cum hæc in ipſa Urbe Roma numerarentur. Sin verò & ulterioris ſuburbicariæ Thuſciæ ad centeſimum uſque lapidem, non verò annonariæ, preſſiùſque vocatæ Thuſciæ Chriſtianitatem perquirat aliquis, parum ſolliciti eſſemus, ſi Falerię, aut Faliſcorum, & Pentopolitanæ, ſeu Nepeſinæ Eccleſię primordia obijceret animadvertenda, cum hæc non modò intra centeſimum à Roma lapidem, ſed intra vigeſimum, ac in ipſis ferè ſummæ Urbis ſuburbijs recluderetur. At cum Dionyſius, & Sutrium, Nepe, & Falerios

He-

Hetruriæ clauſtrum dixerit, quaſi propriè inde vocata Hetruria ſua auſpicaretur initia, ne quid intactum pro re noſtra relinquamus, de ſuburbicariæ quoque Thuſciæ Chriſtianitatis exordijs aliquid addere non gravabimur. Statuere autem neceſſe eſt in primo Petri ad Italiam adventu, ſtatim diſcipulos illos populorum doctores, Metropolitas, & Epiſcopos dediſſe, quos nimirùm in Chriſtiana religione eruditos, probatoſque ſecum ex Oriente deduxerat, non illos autem quos rudes adhuc, & improbatos ad fidem, ſtatim in Italia converterit. Hoc enim non modò humanæ prudentiæ accomodatum fuiſſe exiſtimo, ſed quod magis eſt, Spiritus Sancti decretis, ac primęvis Apoſtolorum ſanctionibus omninò conſonum. Ne verò ſerram inani temporis jactura reciprocare cogamur, erit hìc paucis veritas oſtendenda. Extat inter Apoſtolorum canones num. 79. ità profectò ſancitum. *Cum quiſquis è vita Gentili acceſſerit, & baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non eſt æquum protinus Epiſcopum fieri; Iniquum eſt enim, ut qui ſui non dùm experientiam oſtenderit, ſit aliorum magiſter, niſi fortè hoc divina gratia fiat.* At cum inter quinquaginta canones quos uti authenticos Catholici ſuſcipiunt adductum decretum non includatur, cum tamen idem, & Nicenum Concilium can. 2. conſtituerit, & ab origine ex antiquiſſimis patribus in lib. contra Celſum adducatur, Apoſtolicum eſſe omninò credunt, & Turrianus, & Binius. Conſonat, & quidem manifeſtè illud Pauli Apoſtoli ad Timotheum nemini manum citò imponendam,

& pro re noſtra in Apollinare Petri diſcipulo clarè patet ex Apoſtolorum decreto, ac primorum Epiſcoporum more, non ex Neophitis, ſed ex veteranis, & probatis diſcipulis electionem fieri conſueviſſe. *Ecce*, inquit Petrus ad Apollinarem, *eruditus, & de omnibus, quæ fecit Jeſus, ſurge, accipe ſpiritum ſanctum, ſimulque Pontificatum*. Adhuc autem ex probatis ejuſdem actis addit S. Petrus Damiani. *Nota quod dùm Apoſtolorum princeps in locum Judæ ſubrogare voluiſſet Apoſtolum, ut Neophitorum reprimeret pravitatem, elegit virum ex his*, inquit, *qui nobiſcum congregati ſunt in omni tempore*, & infra, *Ecce B. Apoſtoli ſuper quos quaſi ſolidiſſimas baſes ſcilicet fundamenta Eccleſiæ poſita ſunt, non novitium, non indoctum, ſed illum ordinant, quem in doctrina, & ſanctæ converſationis ſtudio perſpexerint eſſe maturum. Hoc quærit Petrus in Matthia, cum elegit in Apoſtolatum, hoc in Apollinare cum promovet in Epiſcopatum*. Hoc itaque in Proſdocimo, Ptolomæo, Paulino, aliiſque primo ſtatim in Italiam adventu ordinatis Epiſcopis Petrum voluiſſe non dubito. Primum autem, qui in ſuburbicaria Thuſcia per baptiſmum aliquem regeneravit B. Eutitium presbyterum apud recentiores enumeratum invenio, vereor tamen ne ad poſtera tempora reduci debeat. Is, ut ex monumentis Eccleſiæ Caſtellanæ, ac Sorianenſis teſtatur Ferrarius, ſacris primum undis expiavit Gracilianum, ſeu Gratilianum nobilem Falerienſem, & poſt Feliciſſimam Virginem, ipſius etiam Graciliani parentes. Cum non tàm hi, quam Eutitius ſub Claudio Imperatore martyrij palmam accepiſſe dicantur, jàm &

in

in ipſius naſcentis Romanę Eccleſię crepundijs fidē etiā ſuſcepiſſe fatendū eſſet, atque Eutitius ſub Claudio presbyter inter Petri, vel ſociorum diſcipulos eſſet connumerandus. At cum martyrium conſumaſſe eorumdem acta doceant, *propter ſevera Claudij Imperatoris in Chriſtianos edicta*, nullāque peculiarem legem adverſus Chriſtianam fidem ſub Tiberio Claudio promulgatam fuiſſe pateat, ad juniorem Claudium circa annum Domini 270. Divos hoſce martyres in Caſtellana Eccleſia ſervatos, retrahendos eſſe magis probabiliter videtur, quod & Baronio ad Romani Martyrologij duodecimam Auguſti diem arriſiſſe conijcio, & actis SS. Martyrum Valentini, & Hilarij, in quibus de Eutitio fit mentio, magis conſonare video. Quod enim aliqui dicunt, Claudium Tiberium pro patria religione leges adverſus Chriſtianos tuliſſe apud Tacit. lib. 11. non invenio, Aruſpicinam, monēte Claudio, per Senatuſconſultum Pontificibus commendatam lego, Chriſtianam religionem edictis ſub Tiberio Claudio laceſſitam, non lego. Sin verò alicui magis arrideret, Eutitium, alioſque ſanctos martyres ſub Claudio Nerone, qui primus Chriſtiani nominis hoſtis fuit, agonem confeciſſe, is neque à Baronij ſententia abhorreret, qui dùm ad annum Chriſti 69. numero 44. Ptolomęi in Urbicaria Thuſcia Epiſcopi, ac Romani item Nepeſini Epiſcopi, cum triginta per Ptolomęū ad fidem converſis ſocijs martyres evaſiſſe ſub Claudio ex ijſdem actis animadvertit, id de Nerone Claudio intelligendum eſſe monet. Cum verò Ptolomæus Baronio Epi-

ſcopus Nepeſinus fuerit, alijs autem Pentapolis regionis Metropolita extiterit, hoc eſt Nepis, Fidenæ, Faliſci, Villę magrę, ac Ferenti in eadē Urbicaria Thuſcia Eutitiū presbyterum proximæ Faleriæ, vel dare, vel habere potuit adiutorem. At cum ſub eodem Nerone, eodem gladio, quo feliciter triumpharunt Eutitius, & cum ſocijs Ptolomęus, Paulinum etiam primum Annonariæ Thuſcię Apoſtolum pro fide occubuiſſe conſtet, Ptolomęum, ac Romanum, antequam ulterior Thuſcia fidem audiret, in Urbicariam regionē Chriſti fidem intuliſſe nequaquam arguere licet. Non minùs enim Paulinus, quàm Ptolomęus Antiochia ductus Petri diſcipulus fuit. Uterque infulatus in Thuſcia prædicavit, & utrumque à recentioribus anno Chriſti 46. Hetruſca legatione fungentem invenio, ut alterum alteri in tempore præferre neſciam. Sin verò ex Ptolomæi actis in re tàm antiqua aliquid coniectari licet, eumdē ad ſuburbicariam Thuſciam profectum, poſtquā Paulinus Annonariam tenuit non difficile exiſtimarem. In his enim, quæ Ferrarius vulgavit, à Ptolomęo ad Criſti fidem Romanum Nepeſinum Philoſophum conversū fuiſſe narratur, & additur quod, *uterque poſtea ab Apoſtolo Epiſcopus ordinatus eſt, Ptolomæus quidem Pentapolis in Thuſcia (quæ Urbs, Nepetæ, & Sutrio finitima erat) Romanus verò Nepetæ.* Uterque enim ſi Epiſcopus ſimul factus eſt, ſimulque ad Urbicariam Thuſciam profectus, jàm non niſi poſt quàm Romam Ptolomæus venerit, Romanaque firmata Cathedra, id accidere potuit, hoc eſt poſtquam Ptolomęus

Ro-

Romanum ad fidem vocatum erudierat, atque ità probatum, & eruditum Petrus illum ad Epiſcopatum Nepeſinum extuliſſet, ut ſupra ex Apoſtolico more docuimus, quæ cum notabile temporis ſpatium poſtulare videantur, non ſtatim, neque in prima Epiſcoporum ad Italicas Urbes ſegregatione eveniſſe licet conjectari. Accedat, quod ſi Ptolomæus Romę, antequam Epiſcopus ſacraretur, cum Hermogora erat, ut eadem acta perhibent, non niſi poſt primam Petri diſcipulorum prędicationem ſuburbicariæ Thuſcię Epiſcopum ſuffectum fuiſſe conſtaret. Ità me ejuſdem Hermagoræ hiſtoria, & apud Mombritium, & Petrum in Catalogo verba expreſsè docent. *Cum enim B. Marcus Evangeliſta apud eandem Urbem (Aquilejam) à B. Petro Apoſtolo directus multo tempore prædicaſſet, & ad magiſtrum reviſendum accedere vellet, Hermagoram Civem Aquilejenſem ejus diſcipulum à populo in Epiſcopum electum Romam ſecum adduxit, quem B. Petrus loco Marci Aquilejæ Epiſcopum conſecravit.* Quod & in hiſtoria Marci Evangeliſtę totidem ferè verbis confirmatum legitur. Cum ergò Hermagoram, non Petri diſcipulum, ſed Marci Eccleſiaſticæ ferè omnes antiquæ Tabulæ, & tàm Romanum, quàm Uſuardi Martyrologium fuiſſe dicant, & multo tempore elapſo ad Marci prædicationem Aquileja is Romam ductus fuerit, nec niſi à Petro probatus, & conſecratus fuerit Epiſcopus Aquilejenſis, utique non id in prima diſcipulorum Petri miſſione, & Ptolomæum, qui Romæ cum Hermagora, non dùm Epiſcopus erat, miſſum fuiſſe con-

ſtaret. Quidquid tamen ſit, dùm nos Annonariæ proprièque vocatæ Thuſciæ Chriſtianitatem inquirimus, de ſuburbicaria minùs ſolliciti, ad reliqua properabimus.

Exterioris Hetruriæ ad Orientem Peruſinorum, ad occidentem verò Lunenſium prima Chriſtiana fides expenditur.

CAP. IIII.

UT primum Hetruriæ Apoſtolum agnoſcere aliquãdo liceat, non modo interiorem Thuſciã; ſed extremos quoque ejuſdem limites ſcrutari oportet. Occurrit primò ex Orientali latere Peruſia Umbriæ ità contermina, ut ab aliquibus inter Umbrorum Civitates adhuc recenſeri contingat. Urbs tamen re vera inter Hetruſcas non modò, ſed & illius Provinciæ principes numeratur, & quæ cum à nonnullis Apoſtolorum ſæculo Chriſti fidẽ accepiſſe credatur, ipſius etiam Chriſtianitatis exordia mereantur inquiri. Nutant uſque adhuc Peruſinæ Eccleſiæ ſcriptores in Herculano hujus Urbis Epiſcopo, & ejuſdem nominis primo, dumque alij, ut Felix Ciattus, & ex ipſo Ughellius, non tantùm Herculanum Petri Apoſtoli diſcipulum, ac coævum, ſed præcurſorem cum Britio, & ſocijs in Italiam ſub Caligula adveniſſe contendunt; alij verò cum ejuſdem Peruſinæ Eccleſię traditione ſentientes,

tes, ut Bracceſchus, & Ferrarius, ad Diocletiani, & Maximiani tempora ſeponunt, pluſquam duorum ſæculorum intervallo, de prima Peruſiæ Chriſtianitate inter ſe diſſident. At quemadmodum negare minimè liceret, primos ex omnibus Hetruriæ gentibus Peruſinos Chriſtianam fidem audiviſſe, ſi re vera Herculanus tempore Caij Caligulæ apud eoſdem, & Umbros cum Britio Evangelicum ſemen, fidemque diſſeminaſſet; ità neceſſe foret, eoſdem pluribus Hetruſcis populis in fide recentiores fateri, ſi Peruſina, & Spoletana prædicatio ad Diocletiani tempora pertineret. Cœſar quidem Chryſpoltus Junior, qui ex Patrui monumentis poſt Ciattum, & Ughellium Auguſtã Peruſiam edidit anno 1648., non modo Herculanum Apoſtolorum coævum non agnoſcit, ſed nec primum Peruſinorum Epiſcopum, nec Conſtantij martyris proximũ ſucceſſorem enunciat, ſed ſub immani Diocletiani perſecutione anno Chriſti 304. martyrij palmam accepiſſe cõvincit ex officio, quod in ejuſdem S. Herculani feſtivitate recitari conſuerit. Et mehercule quamquam Ciattus antiquiſſimæ rei recentiores teſtes cumulare conetur, negandum non eſt, validiora ſui paradoxi argumenta ex Actis S. Britij, Martani, & Chryſpolyti Vettovienſis Epiſcopi ità concinnare, ut, ni fallor, non modo ineluctabilia non ſint, ut aliqui exiſtimarunt, ſed cum non nulla inter ſe pugnantia contineant, alia facilè enervari poſſint. Pugnant, quod ſub Caligula Britius, & Herculanus cum ſocijs Petrum in Italiam anteceſſerint, & quod Britius idẽ

An-

Antiochia in Italiam Petrum ipſum ſecutus venerit. Et primum à Ciatto tanquam certum aſſumitur lib. 3., & probatum eſſe præſumitur lib. 4., ſecundum verò ità materna lingua eodem lib. 4. monſtratur. *Tra tutti inſtituì* (loquitur de Petro Apoſtolo) *quaſi primate, & Arciveſcovo dell' Umbria uno venuto ſeco d' Antiochia chiamato Brizzio &c.* Hæc ità inter ſe pugnantia ex Ciatto in Ughellium defluxerunt. Nam in Epiſcopis Spoletinis Britium cum Herculano, & ſocijs legimus, cum D. Petro Apoſtolorum principe ſub Claudio Imperatore Romam veniſſe *anno domini quadrageſimo quinto*. Et in Epiſcopis Peruſinis eorumdem adventum videmus conſignatum, *in poſtremis Imperatoris Caligulæ temporibus ſub conſulatu Juliani*, quem Julianū ex probatis actis, & ſcriptoribus idem Ughellius, non conſulem, ut contendit Ciattus lib. 4., ſed Urbis Romæ primarium præſidem fuiſſe agnoſcit; neque ità validis inniti video fundamentis, quæ ex actis SS. Britij, & Chryſpolyti ad ſui paradoxi ſtructuram, hoc eſt ad Herculanū Apoſtolis coævum firmandum, adducit Ciattus, ut id ineluctabiliter cōvincatur, immò talia ſint, ut dilui facilè poſſint, & faciliùs ad Diocletiani tempora, quam Claudij, vel Neronis colliment. Ex actis S. Britij duo aſſumit Ciattus, primum, quod Britius Herculani ſocius Petri Apoſtoli diſcipulus, & coævus fuerit, eo quòd ab eodem in carcere viſitatus fuerit, & Epiſcopus ordinatus; deindè quòd in ijſdem aſſeratur, Chryſpolytum Britij, & Herculani contubernalem ſub Neronis gladio martyrij palmam fuiſ-

fuiſſe adeptum. Quod cum in ejuſdem Chryſopolyti actis ex hædino Eccleſiæ Vittonienſis codice contineatur, hoc eſt S. Chryſpolytum, cum S. Britio, atque Eraclio, ſive Herculano, & allijs pluribus à Petro Apoſtolo in Italiam miſſum eſſe, nulla amplius tergiverſatione negari poſſe concludit. Hinc Galeſinum, Lippomanum, & Ferrarium, quamvis recentiores ſuæ aſſertionis teſtes cumulat, & à Peruſinæ Eccleſiæ traditione de Herculani ætate prorſus diſcedit. At cum in ijſdem S. Britij actis Eccleſiæ Spoletinæ expreſsè contineatur, eumdem S. Epiſcopum ſub Diocletiano, & Maximiano Antiochia cum ſocijs Romam veniſſe, & non à Petro Apoſtolo, ſed ab Urbano Pontifice presbyterum ordinatum, fruſtra ad Caligulę, & Claudij tempora retrograditur Ciattus, & fruſtra Diocletiani nomen, ſub quo paſſus Herculanus dicitur, in Domitianum contorquere obluctatur, cum & Urbanum in Petrum convertere etiam neceſſe ſit, tàm in actis S. Britij apud Ferrarium, quàm & SS. Carpophori, & Abundij ejuſdem ſociorum apud eumdem, & Mombritium. Jàm idem Ferrarius animadverterat Neronis nomen in S. Britij actis irrepſiſſe, & in hoc corrigenda eſſe, quod Chryſpolytum Epiſcopum ab ipſo S. Britio Diocletiani coævo ordinatum dixerint, & ſub Nerone agonem conſumaſſe. Sed adverſus Ferrarium alibi ſuæ aſſertionis teſtem jàm etiam inſurgit Ciattus, & falsò eadem acta caſtigata ſtatuit, quia ex jàm adducto Biſtonij codice apud ſodales minoritas, tàm Britium, quàm ſocios pateat à B. Petro in Italiam

liam miſſos. At cum contra Ferrarius ex eiſdem Eccleſiæ Viſtonienſis monumentis doceat Chryſpolytum martyrij agonem conſumaſſe 4. *idus Maij*, *Diocletiano*, & *Maximiano imperantibus*, jàm & ex oppoſitis codicibus vim alterius codicis enervari fatendum eſt, niſi ex aliorum in diverſis Eccleſijs numero,& pondere obrui potiùs dicendum ſit. Concedamus Ciatto Ferrarium pugnantia proferre in Topographia, & Catalogo SS. Italiæ, quamvis eidem data opera SS. Vitas ſcribenti jure magis credendum ſit, quã curſim, & per compendia in Topographia pauca indicãti, non indè tamen infringuntur monumenta aliarum Eccleſiarum, ex quibus ſua excerpſit Ferrarius, neque ea, quæ apud Mombritium, & alios edita conſtant convelluntur. Numeravit etiam Ciattus inter Britij, & Herculani ſodales Æmilianum Trebiatem, Carpophorum, Abundium, Eutitium, & Vincentium Mevenatem Epiſcopum. At hos non ſub Claudio, aut Nerone floruiſſe ex eorumdem hiſtorijs patet, ſed omnes ſub Diocletiano. Extant penes me acta S. Emiliani Epiſcopi Lucani apud Trebiates quieſcientis in corpore eadem, quę ex altero antiquo Eccleſiæ Spoletinæ codice, & altero quem ex bibliotheca ſua Aniciana ad Lucenſem Rẽpublicã aliquãdò Cõſtantinus Abbas Cajetanus tranſmiſit, & quæ emendato ſtylo typis Peruſinis Mutius Petronius jã ediderat,& in his omnibus Emilianum ſub Maximiano, non Nerone, vel Domitiano paſſum eſſe prorſus docetur. Extant paritèr tàm apud Ferrarium, quàm antea apud Mombritium SS.

Car-

Carpophori, & Abundij hiſtoriæ, in quibus cum Britio, & Herculano eoſdem martyres Romam eſſe profectos perhibetur ſub Urbano Pontifice, & Diocletiano, & Maximiano imperantibus; ex ijſdem etiam conſtat Eutitium unum ex Britij, & Herculani ſocijs Viterbium conceſſiſſe, & hunc metu perſecutionis latitantem ſub Diocletiani, & Maximiani clade gentiles ad ſe confugientes baptiſmo abluiſſe, quod ex antiquis m. ſs. Eccleſiæ Viterbienſis apud Ferrarium die 3. Novembris comprobatur. Hoc idem de *S.* Vincentio Mevaniæ Epiſcopo, non modò aſſerit Ferrarius die 6. Junij, nempè à S. Britio ordinatum ſub ijſdem Diocletiano, & Maximiano Cœſaribus cum Benigno Diacono paſſum eſſe, ſed in pluribus Eccleſiæ, ubi eorumdem SS. corpora requieſcunt, hædinis, ac manuſcriptis codicibus ità confirmatur, ut Britium & Herculanum ad eadem etiam tempora reponant. Hæc ſi perpendiſſet Ciattus, nec tanti unicum Biſſonienſem codicem feciſſet, neque ità facile cum his pugnaſſet, qui Britium in carceribus Spoletinis à B. Petro, non in corpore adhuc exiſtente, ſed è cęlis apparente, viſitatum fuiſſe monebant, quandoquidem præter Adonem, & Petrum de Natalibus, qui tàm ab Angelo Sancto, quàm à B. Petro Apoſtolo viſitatum in carceribus eodem modo narrant, hoc eſt per apparitionem, neque deeſſe antiqua manuſcripta ſciebat, quæ idem oſtenderent, quàm vis ipſe in tenebris jàm eſſe ſepulta mallet, dùm inquit lib. 4. pag. 438. *Che poi alcuni antichi manuſcritti accennino viſioni ed apparitioni reſti*

la fede di ciò ſepolta con gli ſcritti ſteſſi, eadem non inficians à Bracceſcho, & Ferrario obſervata. Putat hìc autem Ferrarium ſibi magis, quàm Bracceſchum favere, quaſi oculatiùs viderit, ac docuerit, quod *Britius à Principe Apoſtolorũ viſitatus in finitimis Civitatibus Epiſcopos ordinare jubetur*. Quis tamen non videt de corporali viſitatione Petri nequaquam intelligere potuiſſe, cum Britium, ac ſocios eodem loco Romam veniſſe Antiochia aſſerat, *Diocletiano, & Maximiano Imperantibus*. Nec eſt, quòd hìc mihi ultrà tempus terendum ſit, an Petrus id de cœlo jubere potuerit, & in tanta Eccleſiæ perſecutione peculiari dei juſſu Epiſcopum ordinari, vel jàm ab Urbano ordinatum monere, ut alios ordinaret, etiam neceſſe fuerit, ut Angelus adeſſet, ad alia enim properantem hujuſmodi dedecent diverticula; oſtendiſſe ſufficiat incertiſſimum eſſe, quòd ab Herculano Apoſtolorum ſœculo Peruſina Civitas fidem Chriſti ſuſceperit, immò quia quotquot Britij, ac ſociorum acta ſejunctim edita ante Ciattum ſunt, tàm apud Ferrarium, quàm Bracceſchum, ac Mombritium, non in Apoſtolorũ ætatem, ſed in Diocletiani tempora omninò conſpirant, minùs probabiliter à plurium Eccleſiarum traditione, immò & ipſius Peruſinæ Urbis conſenſu recentiores diſceſſiſſe.

At quia ijdem ſcriptores, qui Herculanum Apoſtolis coævum fuiſſe contendunt, Peruſinum Epiſcopum ante annum Chriſti quinquageſimum ſeptimum, non agnoſcunt, & Britium non in prima Epiſcoporũ à Petro ordi-

natione, ſed ipſo Italiam peragrante, Epiſcopum fuiſſe ordinatum fatentur, jàm non ante Ptolomæum, ac Romanum ſuburbicariæ, nec ante Paulinum Annonariæ Thuſcię Apoſtolos Herculanum Peruſinam Eccleſiam ſuſcepiſſe regendam convinceretur. Ex his igitur Umbriæ recentioris limitibus ad Umbrorum antiquam Sedem Liguribus conterminam deſcendamus, à Tyberi nempe ad Macram flvvium, ut Lunenſium Thuſcorum Chriſtianæ fidei expendamus originem. Non me fugit aliquos extra Hetruriam, & trans Macram, Lunæ non minùs oppidum, quàm oppidum in Liguſtici maris ſinu illo conſtituere, quem Itali vocant, *Golfo della Spezia*. At quidquid de portu ejus nominis ſit, palam eſt ex Auguſti apud Plinium diviſione Lunam Urbem in Hetruria recenſeri. Apparent adhuc rudera deſtitutæ Urbis in litore maris extantia ad Orientalem Macræ fluminis ripam, & intra Thuſciam poſita. Sed mirum quantas diruta Civitas unius literulæ mutatione cum Luca adhuc ſuperſtite, ac libera Hetrurię Urbe, confuſa, ambages peperit apud recentiores. Manifeſtus inter cœteras eſt Guilielmi Spirenſis error, qui dùm Italiæ ad fidem Chriſti converſionem in primi Centenarij quarta parte retulit, Lucenſium, ac Lunenſium Chriſtianitatem admiſcuit, & Paulinum Thuſciæ prȩcurſorem cum Paulo Sergio Narbonenſi Epiſcopo, non minimo diſcrimine, ſejunctos confudit. Jam in prima primi ſœculi diſtinctione ad annum Chriſti 46. Paulum, alijs Paulinum dictum Lucenſium Epiſcopum conſtituerat, & ex Uſuar-

do, & Caniſio ſub Nerone paſſum, & in Urbe ſua ſepulu m docuerat. At fortaſſe Amanuenſis errore in diſtinctione prima quartę partis, dùm Italiæ, ac Lucenſium ad fidem converſionem recenſet, S. Paulum Sergium Epiſcopum Narbonenſem anno Chriſti 49., Chriſti Eccleſiam Lucæ collegiſſe, filium cœcum mulieris viduæ, quæ ipsũ hoſpitio ſuſceperat, illuminatum cum multis ad Chriſtũ convertiſſe, ex Petro de Natalibus narrat. Verùm pium, ac eruditum ſcriptorem à Lunenſibus ad Lucenſes deceptum divertiſſe, ex authore ipſo, quem prodit, manifeſtiſſimè apparet; Petrus enim in Catalogo lib. 1. cap. 60. ità de Pauli Sergij ſecundo ad occidentales itinere loquitur. *Poſt paſſionem ergò ſuam B. Paulus* (Apoſtolus nempe) *quod Paphum eidem* (S. Paulo Sergio diſcipulo) *per viſionem mandavit, ut ad partes Hiſpaniæ, & Galliæ pergeret ad prædicandum, quod & ipſe fideliter adimplere curavit, & poſt aliquot dies Romam veniens cum Ruſo, & Stephano diaconibus ſuis Eccleſiam B. Apoſtoli conſecravit, deindè pergens ad Civitatem Lunæ* (ità omnes codices legunt) *filium cœcum mulieris viduæ, quæ ipſum hoſpitio ſuſceperat, illuminavit, eamque cum filio, & multis ad Chriſtum convertit.* His conſonant ea, quæ totidem penè verbis expreſſa ex Eccleſia Sarzanenſi, dudùm Lunenſi ſuffecta, in hujus ſancti celebritate recoli conſueta, à Vitali in Sanctuario Corſicæ cap. 4. referuntur, ut de Paulo Sergio Narbonenſium, non de Paulino Lucenſium Epiſcopo intelligenda eſſe planè conſtet. Cum igitur ex his, quæ libentiùs adnotare volui, quia Ughellium de Lunenſi Ecclecle-

cleſia ſcribentem præterijſſe video, non modò Lunenſium primæ Chriſtianitatis præciſum tempus colligatur, ſed ab Apoſtolorum uſque ſæculo fidem ſuſcepiſſe appareat; jàm & Lunenſium poſteriorem Chriſtianam fidem, quàm Lucenſium, conſtituere neceſſe eſt. Quandoquidem omninò poſt Pauli Apoſtoli, & Paulini Lucenſium Epiſcopi conſummatos ſub Nerone agones Lunæ Civitatẽ Verbum recepiſſe patet, hoc eſt penitùs poſt annum Chriſti ſexageſimum nonum.

In Annonaria Thuſcia Volaterrarum, Feſularum, & adiacentium nonnullarum Urbium Chriſtianæ fidei primordia recenſentur, & expenduntur.

CAP. V.

ARetium, Piſtorium, Cortonam, Ruſſellam Hetruriæ Annonariæ Urbes, utpote quæ à Romulo prima Evangelij ſemina ſuſcepiſſe profiteantur, à primò Romuli in Thuſciam adventu non ſejungam. Quamvis enim, non ità certum ſit, an in prima, vel in ſecunda S. Præſulis prędicatione fidem complexę fuerint, immò nec prorſus à Romulo, cum hæc omnia aliqua potiùs recentiori traditione ferantur, quàm antiquo aliquo monumẽto vallentur, non meum tamen eſt ad veræ, & Eccleſiaſti-

cæ

cæ traditionis amuſſim revocare, ſicuti nec convellere eſt animus. Quæcumque tantùm ab earumdem chronographis, aut originibus obſignata invenerim, candidè quidem retexam, non autem ſine probatione excurrere ſinam.

Volaterranus non ignobilis ſcriptor, qui ſub Julio ſecundo Pontifice Commentaria urbana concinnavit, Hetruſcis alijs Urbibus præcocis religionis palmam præripere cogitavit, & Volaterras patriam ſuam omnibus vetuſtiorem, ante omnes quoque Evangelij ſemina excepiſſe his verbis gloriatur. *Volaterras primam Hetruriæ Civitatem, priùſque ædificatam inter duodecim fuiſſe plura ſunt argumento &c.* quibus enumeratis, addit. *Denique Petrus Apoſtolus hanc, ut in Hetruria primã ante omnes ad fidem vocavit, miſſo Romulo ſanctiſſimo viro, qui per Herculis portam ingreſſus, ſicuti ſcribitur, ubi eos Chriſtianos fecit, Feſulas abijt, ac Urbis utriuſque Præſul eſt conſtitutus.* Huic Auguſtinus Camaldulenſis concinit, qui ad vitam & miracula SS. Juſti, & Clementis in gratiam Abbatis ſui Volaterrani Volaterranæ Urbis elogium addens inquit, *Te enim Sanctiſſimus Petrus Apoſtolorum princeps ut in Hetruria primam ante omnes Urbes ad fidem vocavit*, & poſt Auguſtinũ Camaldulenſem Ughellius in Epiſcopis Volaterranis. Verùm, niſi me, ut Volaterranum, Patriæ amor nolentem divertit à ſemita, non parvo tempore poſt Paulini apoſtolatum, Romulum Volaterris, & Feſulis Evangelium intuliſſe demonſtrabo.

Duces mihi præficio Romanum Martyrologium, &

acta

Acta S. Romuli penes D. Antoninum Archiepiſcopum, Franciſcum Cattaneum Epiſcopum Feſularum, Mombritium, Razzium, & Ferrarium. Ex his clarè patet S. Romulum non ex Antiochia ductum Urbe inter antiquos fuiſſe diſcipulos, ſed de nobili Romanorum progenie ortum, ab Apoſtolorum Principe Romæ concionante converſum, Juſtino primo erudiendum fuiſſe conſignatum, inox miraculis clareſcentem, cum eodem Juſtino Sutrium fuiſſe directum, at ex Civitate poſt 140., alijs 150. dies expulſum à Neronis præfecto, eadem S. Romuli acta, præcipuè apud Cattaneum, & Razzium manifeſtè docent. Hinc prædicatione, & miraculis proficientem, Romam reverſum, à D. Petro Feſularum Epiſcopum fuiſſe deſignatum narrant. Non tamen, ut Feſulas ſtatim contenderet; audita enim Feſulanorum protervia, primùm Volaterris ſubſtitiſſe, mox Brixiam, & Bergomum ſe recepiſſe; donec ab Angelo monitus, in Hetruriam, & Feſulas iterum remigraret. Prima igitur Romuli extra Urbem in ſuburbicaria Thuſcia prædicatio fuit, & Sutrij prima Chriſtianæ religionis ſemina à Juſtino, & Romulo jacta ſunt, ut indè etiã pateat proximã Ptolomæi, & Romani Pentapoli, & Nepete, vel rejectã, vel non adhuc auditã. At dùm à Neronis miniſtro Sanctos Viros fuſtibus Sutrio ejectos legimus, jàm Romulum non niſi ſub Nerone in Hetruria prædicantem noſcimus. Quo verò Neronis anno id evenerit, non ante quintum imperij, & Chriſti ſexageſimum primum, accidiſſe conjectare licet, etſi enim

nim Tacitus, Chriſtianis quam maximè infenſus, ad annum Neronis decimum per incēdij Neroniani flagitiū doceat Chriſtianos primò correptos, qui fatebantur, deinde ingentem multitudinem crudeliſſimæ neci à Nerone traditam, & Severus Sulpitius, non niſi poſt Urbis incendiū, *& hoc initio in Chriſtianos fœviri cœptum, poſt etiam datis legibus, palamque edictis propoſitis*, hoc eſt poſt annum 67., ut Baronius notat: ex eodem tamen Tacito apparet, nonnihil ante hoc proximè tempus Chriſtianam religionem repreſſam, undè Nero facilè incendiarij crimen in Chriſtianos jàm inviſos retorqueret; inquit enim, *repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat*. Hanc verò, quęcumque fuerit repreſſio, non niſi poſt annum ſexageſimum primum accidiſſe ex eo convincitur, quòd Paulus Romæ biennio in vinculis publicus, & intrepidus Chriſtianitatis præco anno Chriſti ſexageſimo primo liber abire permittitur, Paulum enim prædicantem ſinere, non eſſet Chriſtianitatem reprimere. Cum igitur Romulus fuſtuario Sutrio electus fuerit expreſsè à prefecto Neronis, non ex populorū concitatione, qui aliquando à ſacerdotibus Idolorum, & antequam exitialia in Chriſtianos edicta vulgarentur, in eoſdem ſeditiosè commovebantur, neque morte multatus ſit, ſed tantùm expulſus, tempus perſecutioni proximum repreſſę Chriſtianæ religionis ſignare videtur ſcilicet anno 67., vel circiter; tunc enim Romulum Sutrij, & in Urbicaria Thuſcia fidem inferre conatū eſſe facile exiſtimarem. Quod enim Falconcinus apud

Am-

Ammiratum in Epiſcopis Volaterranis Epiſcopatus illius Urbis initiũ ſignet ab anno Chriſti ſexageſimo ad ſeptuageſimũ quintũ, undè excerpſerit, idẽ ſe neſcire fatetur Ammiratus. Volaterris, pluribuſque alijs Evangeliũ intuliſſe, atque in eiſdẽ munera Epiſcopalia exercuiſſe facilè concederem, eidem autem Vrbi datum præcipuè Epiſcopum, neotericorum tantùm authoritate ſuffultus affirmare non auderem. Antiquior, & in Eccleſiaſticis hiſtorijs verſatus S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus eſt, qui Epiſcopum tantùm Feſulanum B. Romulum his verbis agnoſcit. *Reverſum igitur ad Urbem Romulum Petrus miſit Feſulas, Epiſcopum ibi inſtituens, & cum eo Marchiſanum, & Cariſſimum, ità tamen, vt priùs accederent ad Civitatem Volaterranam, quæ tunc Antonia dicebatur, ut viſitaret duos diſcipulos ſuos, quos illùc deſtinaverat Petrus ad prædicandũ, ſcilicet Creſcentiũ, & Dulciſſimum*. Iniunctum igitur Epiſcopale munus Romulo Feſulis erat; Volaterrarum etenim per prædicationem expugnatio jàm Creſcentio, & Dulciſſimo impoſita, dùm minùs felicitur provehitur, auxiliares Romulum, ac ſocios ſuppetiis Petrus miſit, non indè tamen Epiſcopum Volaterranum Romulum conſtituiſſe educitur. Diverterat quidem Volaterras, ſed animo in commiſſum ſibi gregem inhiabat, audiens enim, dùm Feſulas proficiſceretur, *Feſulanos crudeles, & nullum admittere Chriſtum prædicantem*, divino primum conſilio Volaterras, deindè Brixiam, ac Bergomùm ulteriùs perrexit; Ex his verò, quę in Bergomenſis Eccleſiæ tabulis ſervari docet Ferrarius S. Ro-

muli diſcipulos in Galliam Tranſpadanam profectos, memorari tantùm Juſtinum, Chariſſimum, & Marchitianũ, ſeu Marcianum video. Argui non ab re poſſet Creſcentium, ac Dulciſſimum in Hetruria, ſeu Volaterris relictos, ex eo præcipuè, quòd Petri, non Romuli diſcipuli eſſent, qui in Hetruriã, & Volaterras præcurſores ablegaverat, ut ex ſupra adductis S. Antonini narrationibus conſtare poteſt. Creſcentium ergò, ac Dulciſſimum, qui primùm Volaterras, & ante Romulum advenerant, eodem etiam tempore repreſſę Chriſtianitatis, & non dùm edictis ad mortem vocatis Chriſticolis Evangelium prędicaſſe exiſtimarem, quia, adveniente Romulo, extra Urbem fuſtibus cœſi, & ejecti, non gladio mulctati latitabant. Nec multò ante Romulum in Hetruriam perveniſſe ex ejuſdem actis docent Cattaneus, & Razzius. Alter enim dùm Romulum Volaterras adveniſſe narrat, de Creſcentio, & Dulciſſimo ità Italicè addit, *Di poco innanti due Giovini vi erano giunti*. Alter quoque ex pluribus inter ſe collatis antiquis codicibus materna eadem lingua concinit, *non multo innanti erano ivi capitati i compagni*. Undè patet, parvo interiecto temporis ſpatio, à Creſcentio, & Dulciſſimo ad Romulum, Volaterras Evangelium ſuſcepiſſe. Si quis autem Volaterranum Epiſcopum fuiſſe Romulum contendat, quòd ibidem Epiſcopale prædicationis munus exercuerit, non laboro, dummodò id pluribus Civitatibus commune fore ſciat. Multis Italiæ locis Chriſtum annunciaſſe antequam Feſulas rediret, Romanæ equidem tabulæ pridiè

Non.

Non. Julij apertè me docent, nec minori jure Episcopum sibi postulare posse existimant Brixienses, Bergomenses, Florentini, Fesulis jàm deducta Colonia proximi, & fortè ex eadem proximitatis coniectura Pistorienses, Aretini, Cortonenses, & siqui alij primævam Christianitatem anhelantes, vulgi sine authore rumores pro traditionibus obtrudunt. At præter Bergomenses, quorum monumenta Romulū, postquam è Thuscia discessit, nominatim suę Urbis, & tertio loco fuisse Episcopum habent, minùs propriè ab alijs, quibus id antiquorum denegavit silentium, in propriæ Ecclesiæ Episcopum trahitur. Jàm enim, & Sixtus Pontifex, & Ephesium Concilium decrevit, *nil ultra licere novitati, quia nihil adijci convenit vetustati. Is B. Petri Apostolorum Principis discipulus, Fesularum primus, Bergomi tertius Episcopus Fesulanos Christi Sacris imbuit, deinde Brixiæ, aliisque locis disseminato Evangelio, & divinè, mirificèque gestis rebus, cum magnam multitudinē ad fidem convertisset, Angeli monitu Fesulas rediit &c.* Galesinus quidem in Martyrologio, & ad idem notis, hæc de B. Romulo Fesularum, & Bergomensium Episcopo ex ejusdem Ecclesiæ tabulis signatum reliquit. Adstipulatur Galesino Ferrarius, qui dùm die 27. Augusti Narnum S. Barnabæ discipulum primum Bergomensem Episcopum, deindè ex Ecclesia Brixiensi Viatorem Narno in Episcopatu suffectum ad diem 14. Decembris addidit, Romulum non nisi tertio loco Bergomensem Episcopum esse potuisse confirmat; Sed jàm reliqua, quæ scilicet Episcopi ætatem, ac Fesulanæ religio-

nis primordia tangunt recenſere libeat. Non me latet de anno paſſionis plurimùm ejuſdem vitę ſcriptores inter ſe diſtare. Cattaneus agonem conſumaſſe ſcribit, *à ſei giorni di Luglio in circa quarant anni dopò la paſſione del Redentor noſtro.* Quod & repetit Razzius. At cum ſignata Epocha in annum Chriſti incidat ſeptuageſimum tertium, & ijdem authores velint, martyrium ſub Nerone abſoluiſſe, rectè Ferrarius monet, vel Imperatoris, vel martyris annos eſſe mutandos, cum anno poſt Redemptoris mortem quadrageſimo, jàm per biennium Veſpaſianus, non Nero imperaret. Falconcinus apud Ammiratum ſignat annum 75. Vghellius verò noviſſimè ſcriptorum fortaſſe varietate deterritus, neque in Florentinis, neque in Feſulanis, neque in Volaterranis Epiſcopis tempus ad amuſſim aſſignavit, ſed in indice Chronologico ad Calcem Tom. 3. tàm Florentinis, quàm Feſulanis Romulum aſſignat antiſtitem anno Chriſti nonageſimo. Hunc attigiſſe annum facilè & ipſe ſuſciperem, dùm tamen martyrij proximè magis palmam, quàm Epiſcopatus initium collimare dicamus. Ità ex Martyrologio Romano elici poſſe videtur, dùm ſub Domitiano, qui ſecundam in Chriſtianos perſecutionem circa hæc tempora, quibus B. Romulum paſſum eſſe dicimus, movit. Ità S. Antoninus apertè teſtatur, dùm ejuſdem, & ſociorum agonem accidiſſe narrat *anno Domini* XC., *vel circa*. Sin verò Viator Epiſcopus Brixienſis, & Bergomenſis, cui Romulus ſucceſſit, anno Chriſti circitèr octuageſimo octavo beato fine quievit, ut ex Chrono-

lo-

logis Brixienſibus notat Ferrarius, ac S. Romulus Bergomi non niſi per decem & octo menſes prefuit, ut Razzius, & Ferrarius idem adſtruunt, non longo tempore poſt quàm Angeli monitu Feſulas redijt B. Epiſcopus advixit, quod ità re vera fuiſſe, ex his, quæ ijdem ſcriptores narrant, colligi poſſe videtur. Ergò circa annũ Chriſti nonageſimum Feſulanos, aut ſi mavis finitimos, & adiacentes Florentinos fidem ſuſcepiſſe apparet. Et ſi enim adveniens primò in Hetruriam Romulus, *Feſulanos crudeles, & nullum admittere Chriſtum prædicantem*, audierit, quaſi aliquis priùs Evangelium ijſdem reſpuentibus prędicare tentaverit, redeuntes nihilominùs ex Gallia Tranſpadana ante Feſulas Marchitianus, & Cariſſimus viam ad Evangelicam Epiſcopo meſſem jàm ſtraverant, *hinc ad tempus ſeparantes ſe à Romulo priùs prædicaverant Feſulis*, & licet à Gentilibus verberibus ejecti, *iterùm junctì Romulo intrantes Civitatem cœperunt conſtanter prædicare Chriſtum, & exindè multi collum fidei jugo ſubdiderunt*. Hoc autem accidiſſe poſtquàm Bergomatibus Romulus præfuiſſet, ex eo patet, quòd ex tabulis Eccleſię Bergomensis, & Brixienſis Marchitianum, ſeu Marcianum, Juſtinum, & Cariſſimum ibidem S. Epiſcopi in prædicatione ſocios per aliquod tẽpus commoratos eſſe docemur. Prævenientes ergò Marchitianus, & Cariſſimus in Hetruriam Romuli reditum prima Chriſtianę religionis fundamenta jacere laborarũt, ut indè apoſtolicum Romuli ſurgeret ædificium, quod cum poſt Neronis deceſſum omninò evenerit, poſt Paulini

etiam

etiam ſub eodem Imperatore conſumatos agones accidiſſe planè conſtare videtur.

Prima ad Florentinos, ſeu Feſulanos Chriſti prædicatio per Paulinum, & Frontinum, deindè per Romulum oſtenditur,

CAP. VI.

HÆc cum ità ſint, & Paulinus, ac Fronto D. Petri diſcipuli Florentinis Evangelium annunciare ex infra dicendis, Nerone imperante, tentaverint, hos etiam ante Romulum, ac ſocios Feſulanam regionem ad fidem allicere conatos eſſe, non videtur ambigendum. Dùm enim Romulum primo in Thuſciam adventu ideò à Feſulanis abſtinuiſſe, ac Volaterras divertiſſe legimus, quia *Feſulanos crudeles, & nullum admittere Chriſtum prædicantem*, audierat, jàm aliquem, vel aliquos Chriſtum annunciantes ante Romulum Feſulanos repuliſſe ſcimus. Quid autem magis rationi conſonum dici poteſt, quam eoſdem Paulinum, & Frontonem id efficere tentaſſe, ſi ante Romuli, & ſociorum prędicationem in proximiori Florentina Colonia, in eadem, nempe mutato nuper nomine, Feſulana regione, Evangelicam tubam inflaverint? Apoſtolorum nimirùm ævo, quo prima Chriſtianitatis ſemina eruperunt in Thuſcia, Florentinos à Feſulanis in primæva præ-

prædicatione ; non facilè diſiungendos eſſe veriſimile eſt.

Imminebant Feſulæ, ut adhuc inter deſtitutæ Urbis rudera apparet, à tertio paulò ampliùs lapide novæ Florentinorum Coloniæ, at quę planę terræ jugera ſub Auguſto anno ante Chriſtum quadrageſimo in militares ſtationes evaſerant, Feſulanus ager erant. Stabat adhuc antiqua Civitas (fabuloſus quidquid ante ſua tempora Ricordanus, & ex eo recentiores aliqui aſſerant) vel deducta ſtatim Florentina Colonia, Feſulæ ità eſſe deſierant, ut in novam Urbem abſorberentur. Teſtem locupletem cũ alijs Plinium adducere libet, qui hiſce Apoſtolorum temporibus advixit, & qui ſeptimæ Italicæ regionis loca percurrens, non minùs Fluentinos, ſeu mavis Florentinos præfluenti Arno appoſitos, quàm & Feſulas recenſuit. Ad quid enim exciſam nuper Civitatem inter alias Urbes Hetruriæ extantes numeraſſet? Immò cur et C. Criſpinum Hilarium ex ingenua plebe Feſulana cum ſeptuaginta quatuor inter filios, & nepotes duodecimo Auguſti conſulatu, triginta & ſex nẽpè annis à deducta lege Triumvirali Florẽtina Colonia, prelata pompa in Capitolio immolaſſe, inter miranda repoſuit, ſi Feſulæ jàm ſolo ad novam Urbem excitandam æquatæ, tàm ingenua, quam ſervili plebe carviſſent. Vel enim, ſub Feſularum nomine nuperam Florentinorum Civitatem Plinium ſignare dicendum eſſet, vel Feſulas ſejunctim à Triumuirali Colonia adhuc, & eodem tempore integram, & incolumem ſu-

pereſſe. Sub uno, eodemque Feſularum nomine Florentinos, ac Feſulanos comprehendiſſe cum Leonardo Aretino ſcriptores illos dicerem, qui Sylla, non Triumuiris imperantibus Coloniã Florentinam conſtitutam fuiſſe opinantur. Cum enim ex Cicerone Syllanam Coloniam Feſulas, non Florentiam deductam ità certum ſit, ut tergiverſari nequaquam liceat, jàm Florentia, & Feſulæ communi nomine nuncupatæ idem apud illos ſunt. Hinc fortaſſe nutat doctiſſimus Clvverius, & dùm modo, *tempore belli civilis inter Marium, & Sullam ſplendidiſſimum municipium fuiſſe Florentiam haud credibile eſſe*, monet, iterùm *Sullæ, Marijque temporibus computatam eſſe Florentiam inter ſplendidiſſimas Italiæ Urbes*, Plinij, ac Flori ambiguis verbis innixum docuiſſe apparet. At dùm Florentiæ nomen ad nobiliſſimæ poſtmodum Urbis antiquiorem ortum durè nimis extorquere videtur à Plinio, qui de Thuſca vite Tuderna Florentia, non Florentina, non de Urbe loquitur, L. Fori quoque Fluentiam aſteriſco in melioribus codicibus notatam, in Florentiam vertit, cum tamen in Faventiam, vel Fidentiam, ex Appiano, & Paterculo meliori fortaſſe jure corrigendam fore appareret. Cum verò, quidquid de nomine ſit, ex Frontini fragmentis conſtet, Florentiam Coloniã ſub Auguſti primordijs triumvirali lege deductam, jàm ex his fuiſſe veteranorum militum Colonijs ſcimus, quas Auguſtus, non adhuc Auguſtus, ſed Cæſar ex pacto, & Antonij munere deducendas ſuſceperit.

At cum ad novam propagandam Coloniam nunquã Ro-

Romani veterem Urbem excindere consueverint, nisi fortasse rarò, & ad perduellionis pœnam, id minùs in militari deducta Colonia voluisse, par est credere. Has non ad nimiam Romanæ urbis exhauriendam frequentiam, vel tumultuantem facilè Provinciam in dubia gente muniendam, sed deficiente ærario ad promissa emeritorum stipendia propagatas fuisse apparet. Sub Octaviani autem triumviratu ad agros militibus assignandos aliquam dirutam Civitatem, neminẽ illius, vel proximioris ævi scriptorem docuisse invenio. Immò Suetonium de Augusto scribentem adverto, *Veteranos in Italiam reducendos, municipalibus agris collocandis* suscepisse, non Urbibus diruendis. Quin etiam Fesulas non modò post Florentinam deductam Coloniam Plinio vivente floruisse, sed deinceps, sub Trajano Nerva, & Antonino, quibus Ptolomæus Geographus convixit, qui inter mediterraneas Hetruriæ Civitates Fesulas adnumeravit. Non tamen negarem Fesulas fertilissima agri parte, sub triumvirali tyrannide mulctatas, sicuti & bellorum civilium insolentia elatos milites, prescriptos etiam agrorum limites contumaciter transiljsse, facilè crederem, quandoquidem, *iniquiores Coloniarum deductiones tunc fuisse, quàm proscriptiones ante fuerant*, Appianus dixerit. Hinc enervata veteri Urbe Fesulanos etiam sensim, & tẽporis progressu in meliorem, ac pinguiorem agrum defluxisse, & in novam Florentiam, non difficili conatu veteres Fesulas evasisse, par est credere. Florentiam verò extantibus adhuc, non ampliùs, quàm trium millium pas-

ſuum intervallo Feſulis, repentè in ſummã Urbem enituiſſe, at in prima Chriſtianitate Epiſcoporum penuria, alterum Feſulas, alterum ferè ad contiguam Urbem Florentiam à Petro Apoſtolo miſſum fuiſſe Epiſcopum, niſi id apertè ex hiſtorijs, non ex levioribus conjecturis, oſtenderetur, minùs rationi conſonum fuiſſe exiſtimarem. Nec facilè Petri Leonis Caſellæ de Thuſcorũ origine noſtro ævo ſcribentis querimonias admitterem, dùm non minùs Nepetę Oetrię Thuſciæ Coloniæ Ptolomęum datum Epiſcopum cœteris provincialibus omiſſis dolet, quàm improbabile putat, ſolitudini, ac deſolatæ Feſularum Urbi Romulum non ſurgenti Florentinorum Coloniæ miſſum fuiſſe Antiſtitem. Quòd enim, ut dictum eſt, Feſulæ eſſe non deſierant, quid queritur Caſella? Fortè divinæ aliquando diſpenſationis conſiliarius, *adiuvvit ſpiritum Domini, aut docuit eum ſemitam juſtitiæ?* Quidſi Deus Pentapoli Ptolomæum, Romanum Nepetæ, Feſulis Romulum, non univerſæ Hetruriæ dediſſet Epiſcopos, immò ſi Florentiæ, alijſque, non minoribus Italiæ Urbibus, ut ex hiſtoricorum antiquorum ſilentio præſumi poſſet, in prima Chriſtianitate negaſſet? rationem utique à Deo gratuitæ aliorum largitionis repoſceret?

Jàm peculiari Dei miſerantis munere Paulinus in ulteriori Hetruria Lucenſibus erat Epiſcopus, jàm & ante Romulum Feſulanis, ſeu Florentinis cum Frontino, ſeu Frõtone prima Chriſtianę fidei ſemina jecerat, & tamen ipſe Caſella, quod Florentini antiqui Chronologi fatentur, mi-

minùs æquo silentio involuit, & dùm Ptolomæum in Romano Martyrologio non adhuc repositum, suburbicariæ universæ Hetruriæ Episcopum, non Nepesinum, seu potiùs Pentapolitanum constituit, Paulinum non modò Usuardi, & Canisij, sed & Romano Martirologio notissimum silet, ut Romulum Sanctissimum alioquin virum, & verè Apostolicum Hetruriam omnem erudijsse adstruat, & Florentinis potiùs, quàm Fesulanis Episcopum, non minimo labore constituat. At quemadmodum, qui primus in Fesulanã regionẽ fidem intulit, etiam intra spatium trium millium passuum, utrisque, tàm scilicet Florentinis, quàm Fesulanis Christum annunciasse concederem, ità Frontonem, & Paulinum ante Romulum Florentinis, seu mavis Fesulanis Evangelium protulisse, non dubitarem.

Assertionis meę testem Joannem Villaniũ adduco antiquum, & magni ponderis rerum Hetruscarum scriptorem, qui ex antiquioribus Chronologis id accepisse profitetur. Audiat æquus Lector materna lingua loquentem. *Ben troviamo noi per più antique chroniche, che al tempo di Nerone Imperatore nella Città di Firenze, e nella contrada prima fù recata in Firenze la fede di Jesù Christo per Frontino, e Paulino discepoli di Pietro.* Quòd enim per hos in Fesulana, seu Florentina regione ante B. Romuli prędicationem vulgatum sit Evangelium, cum id Neronis tempore contigerit, tanquam ex suprascriptis probatum non repeto. Cum verò nil aliud ex antiquioribus monumentis Villanius de

primis hiſce Florentinorum Apoſtolis doceat, præterquã quòd diſcipuli B. Petri fuerint, recentiores Florentinos ſcriptores conſulere libet. Inter hos Ughellius, qui nuper de omnibus Italiæ Eccleſijs optimè meritus, omnia de Florentina Eccleſia in unum congeſſit monumẽta, Sanctũ Frontinum, ſeu Frontonem à Sancto Petro Apoſtolorum Principe primùm Florentinæ Eccleſię Epiſcopum ordinatum, à nonnullis traditum eſſe aſſerit, & antiquæ, quam adfert, traditioni, nec abrogare fidem, nec adſtruere velle fatetur. Dùm Epiſcoporum Florentinorum ſeriem ab eodem Frontino auſpicatur, de eodem hæc addit. *Qui una cum Paulino eius condiſcipulo ibidem Chriſti fidem cum cœpiſſet diſſeminare ad cœlum evolavit, cujus acta invidioſa conſumpſit vetuſtas*; quaſi ibidem, & in eadem prædicatione curſum conſumaſſe Frontinum opinetur. Verumtamem cum præter Villanium nemo ex antiquis Chronologis, vel Frõtinum Epiſcopum, vel quo loco, aut genere mortis obierit, adnotatum reliquerit, incertum potiùs alicujus non antiqui authoris rumorem dicerem, quàm traditionem. Id me Borghinius ingenuè docuit, qui ante Ughellium de Eccleſia, & Epiſcopis Florentinis in Italicis ejus diſſertationibus ſcribens, hęc candidè de Frontino protulit. *Perchè di quel Frentino, ò Frontino che ſia il nome, il quale dicono alcuni eſſer ſtato de diſcepoli di S. Pietro Apoſtolo, e da lui ſpecialmente ordinato primo noſtro Veſcovo, e mandatoci con un Paulino ſuo cõpagno a predicare la fede di Gieſù Chriſto, regnando Nerone, nel medeſimo tempo, che à Fieſole fù inviato S. Romulo, jo non ritro-*

vo

vo cosa che mi paja poter con sicuro fondamento affermare, non ci essendo fuori di alcune poche parole in Gio: Villani, nè scritture, ne autori non che sicuri, e certi, ma che siano pur resoluti affatto del nome. Ne vorrei in questo caso incorrere per troppa agevolezza in quell'errore, nel quale m' increesce quand' jo veggo caduto un altro, di metter nell' Historie cose accettate, e senza riscontro. Cum igitur ex antiquioribus Chronicis Villanius affirmet Frontinum, & Paulinum Florentiæ Verbum annunciasse, sicut id temerè, & sinè ratione negare minùs convenit, ità nisi ex vetustioribus monumentis aliquid superaddere liceat, illud enim iterùm, iterumque ex Ephesini Concilij decreto obtrudere oportet, *nil ultra licere novitati, quia nihil adijci convenit vetustati.* Quia ergò Frontinus, & Paulinus Petri Apostoli discipuli nuncupantur, & ex injuncto prædicationis munere Episcopos existimare, non est incongruum, benè etiam convenit ætas, & officium cum Paulino Lucensium, & Frontone, seu Frontino Petragoricensium Episcopis. Profectò cum alter Petri discipulus Lucæ diù moratus universam ferè Urbem, ut infrà patebit, Christo lucrifecerit, dilatandi verbi ardore succensum, sive Petri præceptoris monitu, sive alio Sancti Spiritus ductu in propinquas Civitates Fesulas, ac Florentiam, Christianam fidem inferre laborasse, sicut par est credere, ità ad amussim cum antiquis à Villanio adductis Chronologis consonare apparet. Huic sententiæ sinè hæsitatione subscripsit Caccinius Florentinus Ecclesiasticę historiæ nuperus scriptor, & quamvis in temporis momento, & alijs

qui-

quibuſdam, non rectè diſſentiat à Villanio, Paulinum tamen Lucenſium Epiſcopum, eumdem cum Paulino, qui primus Florentinis Chriſtum indicaverit, omninò eſſe profitetur. An verò ſimul, & eodem tempore, cum Frõtino, ſeu Frontone, vel ſejunctim, eorumdem converſionem ſuſceperit, ex Joanne Villanio non prorſus liquet, cum ambo ſub Nerone Florentinam prædicationem inijſſe tantùm, & ſine alia diſtinctione retulerit. Paulinum nihilominùs Frontino ſocium agnoſcunt recentiores, & in ſimultaneam prædicationem conſentiunt. Alterum ſi dixerimus, nil profectò contradictionem implicat, cum uterque Petri diſcipulus, Nerone imperante, fuerit. Sive enim Fronto, quem alij Frontinum, & Frontum, ex Judæa, ſive Antiochia, cum Petro venerit, ut antiquus mẽbranaceus codex Eccleſię ejuſdem Sancti Paulini adſtruit, ſive ab Apoſtolorum principe Romæ baptiſmo fuerit initiatus, ac deinceps Petragoricenſibus Paſtor addictus, nil vetat, vel cum Paulino, vel ſeorſim *Feſulanis*, ſeu *Florentinis* verbum Veritatis annunciaſſe. Quia verò communiùs Romæ *Fronto* baptizatus dicitur, nec cum Apoſtolicis ſanctionibus Epiſcopum ſtatim ordinatum fuiſſe convenit, ſeriùs quàm Paulinum prædicationem ex injuncto munere ſuſcepiſſe videretur dicendum, & eo magis, quòd Gallis ſeriùs, quàm Italis fides innotuerit, ſeriùs, inquam, ut Severus Sulpitius habet, trans Alpes religione ſuſcepta. At hæc non ità Paulini, & *Frontonis* ſocietatem convellunt, ut *Fronto*, vel cum Paulino, vel ſub eo ante

quam

quàm in Gallias proficiſceretur, Florentinam prædicationem exordiri non potuerit. Nec à Frontonis Hetruſca prædicatione admittenda deterrrere nos debet, quòd inter Frontinum, & Frontonem, ſeu Frontonium levis in nomine diſſonantia intercedat. Jàm enim non modò Razzius in Thuſcorum ſanctorum Hiſtoria monuit Frontinum, ſeu aliquorum Frentinum Paulini ſocium, Frontonem potiùs vocandum eſſe, ſed vice verſa Frontonem Petragoricenſem Frontinum etiam appellari poſſe aliqui Galliæ ſcriptores ſuadebant, & Pariſinus Laziardus præcipuè. Hinc, nulla intercedente inter hos Sanctos Viros nominis differentia, addam, neminem latere poſſe, D. Frontinum, ſive Frontonem Petragoricę Epiſcopum aliquando Hetruriam inſpexiſſe. Quandoquidem cum iter Roma in Galliam conſuetum per Thuſciam eſſet, ſive per Aureliam viam, ſive per Clodiam, aut quacumque alia fieret, ſaltem proficiſcentem in Galliam Frontonem Hetruriam tetigiſſe fatendum eſt. Sed repetito per eam itinere aliquam ibi moram traxiſſe, non improbabile ſuadebat Georgij, ſive Gregorij, cujus ſupra mentio iniecta eſt, ſocij per baculum Petri ad vitam revocati miraculum. Ado quidem Trevirenſis in Martyrologio, & Petrus Equilinus, quamvis acta Frontonis Epiſcopi, cum Frontone Abbate non nihil confundat in Catalogo, authores ſunt, Sanctum Virum Romę à B. Petro Epiſcopum ordinatum ad Civitatem Petragoricam, cum Gregorio presbytero ad prædicandum miſſum eſſe, *verùm poſt dies tres itineris mor-*

tuo

tuo Gregorio, Frontonem ad Petrum redijſſe, acceptumque ipſius baculum ſuper corpus defuncti poſuiſſe, ſociumque excitatum de morte recepiſſe. Et quamquam Petrus venerabilis in epiſtola contra Petrobruſianos, non Gregorium, ſed Georgium ſocium à *F*rontone Petri baculo ſuſcitatum narret, *& jàm vltra decem dies in via mortuum* addat, nil moror, nominis enim varietas facillimo amanuenſis errore irrepſiſſe in codice potuit, & ſpatium dierum prima facie variũ in idem prorſus coincidit, poſt tres enim dies itineris Romam repetens *F*ronto, non niſi ſexta, Petrũ alloqui potuit, nec niſi nona, vel decima ad cadaver defuncti ſocij redire. Sicuti autem neminem poſt tres dies conſueti itineris Roma in Galliam redivivi ſocij prodigium alibi, quàm in Thuſcia eveniſſe negaturum arbitror, ità quo præcipuè Hetruriç loco acciderit, an in Urbicaria, an in Annonaria in tanto ſcriptorum ſilentio neminem affirmaturum eſſe confido. Tres itineris completi dies non niſi ad ſexageſimũ lapidem ſanctos Viros perveniſſe oſtenderent, ſi milliaria viginti ſingulis diebus juxta leges aſſignarentur. Sin verò triginta, & ampliùs milliaria unius diei conſueto itineri darentur, ut inter Capuã, & Beneventum exemplum extat apud Livium, jàm ferè ad centeſimum lapidem, & à ſuburbicaria in Annonariã Hetruriam penetraviſſe, non eſſet incongruum. Nec longè à Senensi, vel Aretina ditione hujus itineris terminus incideret, nec ità longiùs à loco Collenſis oppidi abiret, ut ſcio Ughellium, & Caccinum inter recentiores affirmare

il-

illius loci Cathedralem, ſub Sancti Martialis invocatione conſtructam, niſi aliter probata traditio doceret, non per Martialem, ſed per Frontonem, non quadrageſimo itineris die, ſed poſt tertium, non Auſtriclianum, ſed Gregorium, ſive Georgium prodigiosè ibi ſuſcitatum ſuſpicari liceret. Sed cum omnia de redivivo apud Elſam Martialis ſocio dubia fide laborent, & cum major Collenſis Eccleſia in Epiſcopalem erecta à Clemente Pontifice octavo anno 1592., non Martiali antea dicata narretur, ſed Divis, Joanni, Fauſtino, & Jovitæ, taliſque in eadem Bulla enuncietur, abſque eo, quòd de Martiali, inſignique per eum ibi patrato miraculo, ulla mentio injiciatur, conjecturam qualemcumque meam addere libuit, ut ab illius loci doctioribus meliori lance libretur, nullaque interim Eccleſiaſticæ veritati, ſi aliundè conſtet, labes inferatur. Quidquid autem ſit de tempore, quo Frontinus, ſeu Frontonius Florentinis, & Hetruriæ verbum annunciaverit, ſive ſeorſim, ſive eodem tempore cum Paulino, affirmare profectò auderem, Paulinum non niſi poſt quam injunctum munus apud Lucenſes impleverit, Florentinam prædicationem accepiſſe. Signat epochã Villanius, ſed indefinitam, hoc eſt ſub Nerone. At cum is ab anno 56. ad ſeptuageſimum imperaverit, dùm ità univerſim loquitur, anſam Florentino ſcriptori præbuit aſſerendi id, eveniſſe, dùm Paulinus Roma primò diſcedens Lucam pergeret. Ità Caccinius primæ Chriſtianitatis palmam Florentinis tribuere, ac Lucenſibus eripere conatus

ad annum 46. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ adnotavit: *Nella noſtra Toſcana vi venne S. Romulo per Veſcovo di Fieſole, e S. Paulino pervenne a Lucca, mà prima viſitò Firenze, predicovvi il Vangelo, come lo daremo à divedere a ſuo luogo.* Alibi ergò hoc eſt ad annum 69., de Paulini martyrio diſſerens, idem repetendo, addidit. *Prima che veniſſe à Lucca giunſe à Firenze in compagnia di S. Frontino, & ivi ſeminorono il Vangelo, e vi riduſſero alla fede quel popolo facile, e diſpoſto à creder toſto il vero pertinente alla religione. Reſecene certi Gio: Villani.* Hæc ille, qui me in ancipiti poſuiſſet, niſi Villanium authorem propoſuiſſet, vereri enim poteram hiſtoriam adventus Paulini Florentiam, ac Frontini ex alio antiquo ſcriptore delibaſſe, qui certò doceret Lucenſes poſt Florentinos fidem amplexos, & hos totis ulnis, ac populariter verbum ſalutis ſuſcepiſſe. At benè illi ſit, qui candidè fontem indicavit, ex quo tamen dùm aquam haurire intendit, dupliciter labitur. Primùm enim, & præcipuè ab ipſo Villanio, quem adducit, diſſentit in hoc, quòd Paulinum in Hetruria prædicantem ſtatuat anno Chriſti 46., hoc eſt ſub Claudio, & Villanius apertè doceat id, Nerone imperante, accidiſſe, ab eodem deindè Chronologo, ſeu Chronologis diſſidet, dùm Florentinam gentem facilè, & populariter fidem ſuſcepiſſe narrat, quam tamen idem tacitè, & in paucis receptam fuiſſe teſtatur. Verba Villanij in aciem iterùm non gravabor producere. *Ben troviamo noi per più antiche chroniche, che al tempo di Nerone Imperatore nella noſtra Città di Firenze, e nella contrada prima ſù recato in Firenze la fe-*

fede di Jesù Chriſto per Frontino, e Taolino diſcepoli di S. Pietro, mà ciò fù tacitamente, & in pochi fideli per paura dè Vicarij, e propoſti dell' Imperatore, che erano Idolatri, e perſeguitavano i Chriſtiani dovunque ſi trovavano, e così dimorarono ſino al tempo di Coſtantino Imperatore, e di S. Silveſtro Papa. Verba verbis conferre unuſquiſque poteſt, & quantùm inter ſe conſonent animadvertere. Ex his, præter credentium paucitatem, clarè patet, quantùm à ſe ipſo, & ab antiquis Patriæ ſuæ Chronologis diſtet Caccinius, dùm Paulinum cum Frontino, antequam Lucenſes Paulinus erudiret, Florentinis fidem annunciaſſe narrat. Meminiſſe quidem illum oportebat, poſt firmatam ſtatim à Petro Romanam Cathedram, Paulinum ad Lucenſes profectum docuiſſe, nec niſi ad ſummum poſt decennium Florentinis religionem Chriſtianam vulgare potuiſſe, cum adventus Paulini Lucam ſub Claudio incidiſſet anno Chriſti 46., & Neronem non niſi 56. imperare cepiſſe, ex ſe ipſo diſcere poterat; immò cum ex eodem Villanio ſciret ſub Frontone, & Paulino Florentinam prædicationem, perſecutione furente, inceptam, poſtremos ejuſdem Neronis annos attingere obſervare debuerat. Qui ergò primum Evangelij in Florentina Urbe ſonum ad Neronis ſævientis tempus referendum exiſtimant, ab hiſtorico prorſus candore diſcedunt. Neronem non modò ſub Imperij initium in Chriſtianos, non ſævijſſe ſcimus, ſed Romani uno ore ſcriptores, Seneca, Dio, Tacitus, alijque teſtantur, nocentiſſimorum etiam ſupplicia primò exhorruiſſe, nec ad annum Chriſti 61.,

qui est Neronis imperantis quintus, vetitam Christianam religionem supra probavimus, quòd hoc anno Paulus Romanis è vinclis solutus abire, & fidem quòcunque vellet inferre permitteretur, quin potiùs non nisi post Urbis incêdium, hoc est anno 67. edictis Christum doceri non licuisse firmat Baronius ex Severo Sulpitio. *Hoc enim initio in Christianos sæviri cœptum, Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis Christianum esse non licebat*, quę Sulpitij verba cum his Villanij consonant, fidē Christi Paulini, ac Frontini opera in paucis fuisse receptam Florentiæ, *per paura de Vicarij, e propoſti degl' Imperatori, che erano Idolatri, e perſeguitavano i Chriſtiani dovunque ſi trovavano*. Cum verò hæc persecutio ad necem usque Apostolorum perduraverit, ut idem Baronius monet, hoc est ad annum usque Christi 69., vel septuagesimum, jàm medio hoc tempore, Paulini, ac Frontini Fesulanam, seu Florentinā prędicationem à Fesulanis omninò rejectam, à Florentinis in paucis receptam incidere clarum est, ex eo præsertim, quòd anno Christianæ cladis extremo Paulinus martyrij palmam sit adeptus. Ex his igitur manifestè patet labi in hoc Cacciniū, quòd Florētini ante commissos Paulino Lucenses, ab eodem Evangelium audierint. Non modò quia ipsemet fatetur sub Claudio Lucam Paulinum venisse, non sub Nerone, sed quia, ut mox ostendemus, ante vetitam Christi fidem Lucensis penè universa Civitas veram Lucem aspexerat. Si quis tamen Frontinum, sive Frontonem primum Florentiæ Episcopum velit, qui ibi-

dem

dem Epiſcopale per id tempus prædicationis, & baptiſmatis munus exercuerit, non laboro, eadē ſcilicet ratione, qua Volaterrani, Bergomenſes, ac Brixiani Romulum ſibi Epiſcopum vindicant, dummodò ſimul Paulinum prę-curſorem, & Apoſtolum agnoſcat. Nulla enim major eſt cauſa, cur alter ſuſcipiatur, alter verò reijciatur, niſi fortè acciderit, quòd ignorato ab aliquibus Frontini Epiſcopatu, dùm Paulini notiſſimus eſt, Frontinum incerti apud illos juris, non Petragoricenſem, Florentinos per adoptionem acquiſiviſſe contendant. At cum Chriſti fides, ut Villanius addit, non niſi ad Coſtantini tempora Florentię invaluerit, nullumque ex antiquis monumentis, quæ in Florentina Metropoli accuratè congeſſit Ughellius, Epiſcopum Florentinum proferat, niſi ad Melchiadis PP. tempora, quandò, nimirùm 313. anno ex Baronij calculo, Coſtantinus religionis libertatem indulſit, ſi quis ad ea circiter tempora imminutis ſenſim Feſulis, ac Florentina gliſcente Urbe, in Epiſcopalem Sedem Florentiam erectā diceret, à ſententia Villanij utique non abſcederet, qui anno ante Chriſtum natum 70. fundatam Florentinam Urbem ratus, per annos tercentos, & quinquaginta paganorum legem propalàm, multis interim extra Urbem, & in Urbe occultè Chriſtum colentibus, tenuiſſe narrat, & non niſi anno Chriſti 320. publicè fidem admiſiſſe. Non tamen cum his pugnarem, qui ex meliori computo velint ſub Auguſto Florentiam Coloniam eſſe cepiſſe, anno nempè ante Chriſtum 40., ac proindè annorum numerum,

quem

quem ex antiquioribus ſuæ Patriæ Chronologis accepiſſe Villanius profitetur, in annum tercenteſimum, & decimum, vel potiùs undecimũ refundere, quandò per mortem Galerij Maximiani anno Conſtantini jàm imperantis ſexto atrox in Chriſtianos perſecutio ceſſavit, & *derepentè*, ut verbis Euſebij utar, *ab omnibus Civitatibus Chriſtianorum conventus frequentes in unum locum coalverunt*. Tunc enim, vel ab Euſebio Põtifice, vel à Melchiade Florentiæ, qui latuerant, Chriſtianis in apertum erumpentibus, Epiſcopum datum facilè credi poteſt, ſive is Felix fuerit, qui Romæ Synodo poſt biennium interfuit, ſive alius Epiſcopus, donec, aucta plurimùm ſub Sylveſtro Chriſtiana fide, hoc eſt poſt Chriſti annum tercenteſimum decimum quartũ, florentibus magis Chriſtianorum rebus, Florentini Martis Fanum in honorem Dei, & præcurſoris Joannis Baptiſtæ dedicaverunt, ut fuſiùs idem Villanius proſequitur.

Prima Lucenſium Chriſtiana fides ex antiquorum Chronologorum calculo, & Romanæ Eccleſiæ conſenſu cæteris in Hetruria vetuſtior oſtenditur

CAP. VII.

EX Apoſtolicis igitur viris pro Thuſcia Chriſto ſubijcienda peculiari munere laborantibus, Paulinũ primum in ulteriorem Hetruriam ejuſdem nomen intuliſſe oſten-

oſtendendum mihi eſſe video, hucuſque licèt non leviter indicatum exiſtimaverim. Dolere hìc autẽ convenit, primam, & antiquiorem inter Hetruſcas Lucenſium Eccleſiam, quamve anteactis ſœculis finitimarum gentium ſcriptores in propriæ gentis decus augendũ alioquin intentiſſimi, vetuſtiorem prorsùs eſſe, candidè, & ex confeſſo agnoverunt, ità à recentioribus antiquam Chriſtianitatem ligurientibus, vel tacitè, vel propalàm impugnari, ut & veræ Dei in Paulino gloriæ non nihil apertè detrahatur, & ab ejuſdem Eccleſiæ filijs juſtiſſimas querelas extorqueat.

Summa Deus veritas eſt, & quidquid præter veritatem in Dei laudibus additur, ut nos docet Apoſtolus, *teſtimonium dicitur adverſus Deum*, qui laudari quidem debet mirabilis in Sanctis ſuis, non autem per fucata humani moliminis exornari argumenta. Ille enim Cardinali Damiano *falſus Dei teſtis meritò dicitur, qui indiſcretè eum cupiens laudare mentitur, & adverſus Deum proculdubio exibet teſtimonium, quiſquis in ejus laude perverſa molitur arte commentum*. Sincerè igitur dùm quærere veritatem laboro, ſi fortè aberrare contingat, vel nimius Patriæ amor detrudat à linea, ingenium extra abiturum, non voluntatem profiteor.

Lucenſem ergò Eccleſiam Hetruſcarum primam, ac primævam extitiſſe, plura demonſtrare poſſunt. Primùm antiquorum ſcriptorum ad noſtrum uſque ſęculum concordia, & Romanæ Eccleſiæ conſenſus, deindè in Petro Apoſtolo humanæ etiam prudentiæ rationes, poſtremò

Pau-

Paulini acta, & Apoſtolatus. Hæc ſinè fuco prolata latentes ſuffodere cuniculos poſſe non diffido, atque in auras evanidos adverſariorum diſſipare conatus. Non me latet in antiquis Feſularum, atque aliarum Urbium originibus, & incrementis, Ricordanum Maleſpinium minùs in Romanis hiſtoricis verſatum, immanes fabulas miſcuiſſe, eumdemque etiam in Lucenſis Urbis prima Chriſtianitate quædam minùs ſincera interſuiſſe. At dùm *ignorantia rerum*, ut ait Seneca, *innocentes erant antiqui*, antiquiori inter Hetruſcos jàm edito Chronologo danda aliqua venia eſt. Is Florentinæ hiſtoriæ cap. 4. ità diſſerit. *Poi al tempo che Chriſto nacque della Vergine Maria, la Città di Lucca, Arnigia, imperciò che in prima ſi convertirono alla fede di Chriſto, e nella Catholica fede furono rilucenti con magna luce di Chriſto, ſi fù da poi in quà chiamata Lucca, quaſi Luce.* Objt Ricordanus circa annum 1281., quo hiſtoriam ſuam produxit, & licet in hoc deceptus ſit, quòd Lucam à ſuſcepta Evangelij Luce dictam poſuerit, cum eodem nomine ab optimis latinę linguæ ſcriptoribus Luca ante Chriſti adventũ nuncuparetur, conſtantem tantùm ſui temporis famam teſtatur, primos ex Hetruſcis fidem Lucenſes ſuſcepiſſe, atq; in ea colenda floruiſſe. Hanc primæ Lucenſium Chriſtianitatis exploratam traditionem, licet eodem nominis errore deceptus, attulit etiã Faccius de Ubertis, qui paulò poſt Ricordanum anno 1300. vixit, & in Geographico Poemate, quòd Dictamundum vocavit, ità de Luca cecinit.

Mà

Mà perch' illuminata dalla fede
Fù pria ch'altra Cittade di Toſcana
Cangiò il ſuo nome, e Luce ſe le diede.

Idem etiam Joannes Villanius, qui anno 1348. obijt, fatetur, licèt ab Evangelica Luce Lucenſes nomen traxiſſe eodem errore minùs ſcitè exiſtimaverit, addens inter Hetruſcas Urbes Lucam primam etiam ſuſcepiſſe Epiſcopum. *Prima ſi convertì alla vera fede di Jesù Chriſto, che nulla Città di Toſcana, e prima ricevette Veſcovo.* Vetuſtos hos ex Hetruſcis omnibus adduxiſſe ſcriptores libuit, quia antiquiores non extant, ut antiquam jàm ferè quatuor ſæculorum calculo firmatam de prima Lucenſium Eccleſia traditionem ità ſine hæſitatione ſuſceptam appareat, ut indè nomen traxiſſe ijdem vetuſti ſcriptores exiſtimaverint, dumque noſtros hìc ſilere video, illosmet ſelegi, qui Florentiam Patriam ſuam omni quidem veneratione digniſſimam extollere conſueverunt, ut hinc etiam pateat quid de Frontino Paulini ſocio ſenſerint, nùm ſcilicet eodem tempore Florentia, quo Luca Epiſcopum habuerit, dùm apertiſſimè alter teſtis eſt, Lucenſes inter Hetruſcos primum Præſulem ſuſcepiſſe. His exteros recentiores conſona ſcripſiſſe video; Guilielmum Spirenſem profero, qui dùm primos Italiæ Pontifices recenſuit, non niſi Paulinũ, ac Romulum in Hetruria numeravit. At dùm Paulinum, quem & Paulum vocat, Lucenſem creatum Epiſcopum docet ex Uſuardi, & Caniſij Martyrologijs anno

Christi 46., & Romulum Hetruriam ingressum ex Volaterrano anno 49., jàm Paulinum antiquiorem Hetruscis omnibus Episcopis credidisse patet, idemque pariter recentiores omnes sensisse dicendum est, qui eodem Christi anno 46. à Petro Apostolo in Hetruriam ad Lucenses Paulinum missum docent, ut Bzovius, Caracciolus, Cocinius, & Ughellius, addunt aliqui Baronium. At re vera Baronius ad annum 46. Paulinum enumerat inter Episcopos, quos Petrus pro varijs gentibus ordinaverit, cum tamen eodem loco omnes, *diversis temporibus*, missos Apostoli discipulos doceat, & privatim Ecclesiarum facta prosequi se nolle profiteatur, nil peculiare pro Lucensium prima Christianitate constituit. Addendum quapropter erit, quid hac in re Romani Pontifices senserint, vel liberè affirmari permiserint.

Immemorabilis Lucæ consuetudo est, ut in majori hebdomada sacri campani æris pulsus sileat, non inter missarum solemnia quintæ feriæ, ut in reliquis per Italiam Ecclesijs mos est, sed hora secunda noctis, quę quintam ipsam feriam præcedit. Morem hunc, antiqua traditio apud aliquos est, inductum fuisse ad refricandam Lucensium memoriam, quòd ante alias Thusciæ Civitates æneum cor deponentes passionis Domini celeriorem fructum perceperint; Sive potiùs dicerem, quòd sicuti universim in Sacra hebdomada veteris ritus recolitur memoria, quandò primi fideles in cryptis delitescentes ligneis tabulis ute-

ban-

bantur, ut Amalario Fortunato de Eccleſiaſticis officijs placuit, Ità apud Lucenſes in earumdem tabularum prævio uſu primę etiam Chriſtianitatis ante alios renovaretur memoria, & conſuetudo præcurreret: hoc certum eſt, etſi hujuſmodi uſus à reliquis Eccleſijs diſſentiat, non niſi, ut laudabilitèr inductum à Romanis Pontificibus æquè probatum fuiſſe, ac confirmatum, & tanquam Lucenſium peculiare decus alijs Eccleſijs ſervari vetitũ. Extat in tabulario Lucenſis Cathedralis autographum Gelaſij ſecundi Papæ, quod Coſtantinus Cajetanus jàm publici juris fecit, & in quo ſub datum Piſis idibus *S*eptembris Indictione XII. anni 1118. antiquam Lucenſis Eccleſię conſuetudinem ſervari his verbis præcipitur. *Porrò in quintæ feriæ nocte ante Paſcha nulla Eccleſia ſecundum morem veſtræ Eccleſiæ campanas ſonet*. Eugenius ſecundus datum Signiæ 16. kal. Octobris indictione 14. anno 1150. Pontificatus anno ſexto, & Anaſtaſius quartus 6. Kal. Decembris indictione 2. Dominicæ Incarnationis annno 1153., & Pontificatus primo, eumdem laudabilem morem ijſdem penè verbis confirmarunt. Idem repetunt Alexander tertius datum Signiæ X. kal. Aprilis indicatione 6. Incarnati Domini anno 1172. Pontificatus 13., Clemens tertius Pontificatus primo anno, verò Chriſti 1187. datum Piſis. Honorius tertius 12. kal. Junij anno 1224. octavo Pontificatus, datũ Laterani. Innocentius quartus datum Perusij X. kal. Novembris indictione 11. anno 1252. anno decimo Pontificatus.

Apertiùs tamen Eccleſiæ Romanæ in primam Lucenſium inter Hetruſcos Chriſtianitatem conſenſus apparet, ex Romæ editis orationibus, in quibus Lucenſium legati novis Pontificibus more Catholicorum Principum gratulantes, ac filialem obedientiam exhibentes, nil alacriùs repetunt, quàm primam ſuorum ante cœteros Chriſtianam fidem hæreditariam agnoſcere. Antequam verò in publico conſeſſu Principum legati verba faciant, clarum eſt, habendas coram Sanctiſſimo conciones, ab his, qui Romę ſacris cęremonijs pręſunt, diligentiori cura notari, ne quid, vel tanto loco minùs congruum, vel inſolens, & falſum proferatur. Cum ergò omnes ferè, quotquot editæ ſunt nobilium legatorum allocutiones, idem contineant, nec ulla unquam nota affectæ fuerint, in Romana earumdem editione, Romanæ etiam curiæ pateret aſſenſus, ni Pontificis ipſius non tacita, ſed expreſſa aſſenſio accederet, ac confirmatio. Sœpiùs enim, & ultrò oratoribus reſpõdentes Pontifices primam Lucenſium Hetruſcam Chriſtianitatem comprobarunt. Liceat ex pluribus Romę vulgatis orationibus unam, aut alteram ſeligere antiquiorem nempe, ex editis, quam nanciſci potuerim, & recentiorem, ut reliquas, ſinè lectorum ſtomacho, curioſiores inquirant. Prima eſt Nicolai Tegrimi viri clariſſimi, qui cum Nicolao Sandonnino Lucenſi Epiſcopo anno 1492. ad Alexandrum ſextum legatione functus Lucenſem Rẽpublicam efficaciùs, & promptiùs obedientiam Chriſti Vicario præſtare dixit, quia eamdem *ſemper incorruptam*

per-

perfectã, inviolatamque ſervavit, & ſervat, ex quo B. ille Paulinus Præſul, & martyr ab Apoſtolorum Principe miſſus primam Hetruriæ Urbem ad veram Chriſti fidem ab Idolorum cultu revocavit. Quod dùm Lucenſium legati aſſeriſſent, Pontifex aſſertioni clariſſimè aſſenſum prębens, ità in edita reſponſione laudavit. *Antiquã veſtram in hanc Sedem devotionem, quòd primi ad Jesù Chriſti fidem veneritis, multorumque Sãctorum Martyrum corpora, quibus Civitas veſtra plena eſt, ſatis demonſtrare poſſunt Magnifici oratores.* Noviſſimè verò Joannes Baptiſta Guidiccionius, una cum Nicolao Gratta, & Joanne Franciſco Boccella ſummæ nobilitatis viris Oratoris munere fungens in ſummo Purpuratorum conſeſſu anno reparatæ ſalutis 1645. ità *Lucenſem univerſam Civitatem, ut quæ inter Hetruſcas Urbes prima Chriſtũ dominũ B. Petri opera cognovit,* Innocentio Decimo Chriſti Vicario venerabundã obtulit, & peculiarem præcœteris obſervantiam ſpopondit, qua *Lucenſis Civitas Romanos Pontifices, uti divi Petri filia in Hetruria primogenita ſemper ſe ſe profecutam fuiſſe gloriatur.* Nec ſpecioſiſſimæ legationi ſpecioſiſſima Pontificis reſpõſio defuit. Ità enim loqui juſſus Gaſpar de Simeonibus à Pontificis ſecretis vir celeberrimus Sanctiſſimi nomine reſpondit. *Quam jàm olim à ſe partam vidit Lucenſem Civitatem Roma, cum non ipſa ſui capax, una eadem, & multiplex alias in Urbes verteret ſe ſe, atque diffunderet, excipit ad ſe nunc reducem, veræque religionis venerabundam intuetur, cujus & animo volenti hauſtæ, & conſtanti ſervatæ jure ſibi laudem Luca vendicet, ex quo primùm ad hanc Orbis arcem Petrus divino afflante Spiritu ad-*

advolavit, facturus illam salutis perfugium, fidei stationem, cortinam veritatis, ut jàm tùm cum Roma paritèr & ipsa regenita Parenti se se fermè coævam, ac germanam agnosceret. Nec minimi faciendum SS. Domini noviſſimum oraculum eſt; dùm enim tempus ferè cum Petro Romanam Cathedram firmante Lucenſium Chriſtianitati aſſignat, jàm Paulinũ ſtatim in Hetruriam miſſum conſentit, & quanquam ad Romanę Eccleſiæ probandum aſſenſum, Romæ tot editæ Lucenſium legatorum orationes ſufficere poſſent, duorũ tamen affirmantium ſummorum Pontificum verba omnem prorſus auferunt anſam dubitandi; nec his niſi temerario auſu reluctari quis poteſt. Magnum profectò iſtud primęvę religionis decus ità ſibi ſtudioſiſſimè retinendum Lucenſes Patres cenſuerunt, ut inter Principum legationes primi ſemper novos Pontifices veneraturi Oratores mittere ſategerint. Extat in Carthophilacio Reipublicæ, Nicolai Sandonnini Epiſcopi,& Nicolai Nocetani oratorum ad Innocentium octavum epiſtola Romæ ſcripta die tertia Octobris 1484., in qua dùm Lucenſium nomine obedientiam eidem exhibuiſſe narrant, & Pontificem per benignè reſpondiſſe, & gratias egiſſe addunt, quòd *Lucenſes primi inter omnes mortales miſerint ad præſtandam obedientiam.* Eumdem à Lucenſibus ſervatum morem, ut ità de prima in Hetruria Chriſtianitate gloriarentur, non dubitavit aſſerere Joannes Baptiſta Bernardius Epiſcopus Adiacenſis, qui cum Luccheſino Lucchef.nio, & Sylveſtro Arnolfinio obedientiam Gregorio XIII., anno 1572. obſe-

ſequioſiſſimè obtulit, & his verbis ſummum Pontificem alloqutus fuit. *Quæ eſt Lucenſium huic ſanctiſſimæ Sedi animorum antiquiſſima addictio, & devotio, indè ab eo tempore, quo Paulinus Petri legatus, ac noſter primus Antiſtes Lucenſes ad veram lucem, & Chriſti fidem convertit, omnibus ſemper Pontificibus creatis ante omnes alios venerationem, & obedientiam libentiſſimè, & amiciſſimè præſtiterunt.* Ità pro Lucenſi Republica ad Gregorium XV. unà cum Stephano Bonviſio, & Andrea Sbarra, Nicolaus Saminiatus orator obedientiæ tributum pendens nonis Maij 1621. eamdem Lucenſium conſuetudinem confirmavit. *Hæc Urbs, quæ primis ipſis Chriſtianæ religionis initijs, prima inter Hetruriæ Civitates Lucem Evangelicæ Veritatis aſpexit (undè potiſſimùm fert acceptum, quòd ſola nunc ex illis antiquiſſimæ, ac dulciſſimæ libertatis beneficio fruitur) hæc inquam ipſa Urbs eo libentius hoc etiam tempore fidem, quam prima ſuſcepit, prima teſtatur.* Noviſſimè verò Guidiccionius de quo ſupra ad Innocentium X. antiqui uſus myſterium expoſuit, & iteravit. *Ut quæ inter Hetruſcas Urbes prima Chriſtum dominum B. Petri opera cognovit, primam nunc in hoc publico Purpuratorum Patrum Conſiſtorio Sacroſanctæ Majeſtati tuæ venerabundam ſiſtimus.* Quæ omnia in meridiana Romanæ aulæ luce prolata, toties publici juris reddita, falſa eſſe quis ſanæ mentis affirmare audeat? Caveant igitur, qui vel propalam Lucenſium in Hetruria fidei primitias aggrediuntur, vel alijs id commune aſſerentes, per ambages expugnare nituntur, ne vel temeritatis, vel nimij in Patriam ſtudij notam incurrant, dùm ipſe nil aliud, quam mu-

municipibus meis majoris in Deum pietatis calcar addere ſtudeo, lituram inducere paratiſſimus, ſi aliundè puriùs veritas illuceſcat.

Quòd Lucenſes primi in Thuſcia Epiſcopum habuerint, præter gratuitum Dei munus humanæ quoque prudentiæ rationes afferuntur.

CAP. VIII.

PAulinum ergò Petri diſcipulum ab eodem Lucēſibus datum Antiſtitem, ſicut ex omnibus, quæ hactenus, & deinceps proferentur, nemo negare poteſt, ità Urbem Italicæ Chriſtianitatis initio in Epiſcopalem erectam, non parvam fuiſſe arguere prorſus convenit. Clemens ipſius Petri Vicarius, & ſucceſſor, ne in parvis Urbibus conſtituerentur Epiſcopi, ità ab eodem Apoſtolo ſancitum fuiſſe docuit. *Hoc autem inſtituit* (Petrus nimirùm!) *ne in Villis, aut Caſtellis, aut modicis Civitatibus inſtituerentur Epiſcopi, ne vile eorum nomen fieret.* Quod etiam Anacletus ejuſdem Apoſtoli diſcipulus, & tertio loco Pontifex confirmavit. *Epiſcopi autem non in Caſtellis, aut modicis Civitatibus debent inſtitui, ſed præsbyteri per Caſtella, & modicas Civitates, atque Villas debent ab Epiſcopis ordinari, & poni, ſinguli tamen per ſingulos titulos ſuos.* Quia autem dubitari ſcio, an ſub Clemē. tis, & Anacleti nomine editæ epiſtolæ germanæ re verà ſint,

ſint, dùm eadem decreta à ſacris Canõibus probari video, omninò non reſpuo. Ità ſcriptum invenio tùm cap. Epiſcopi, diſt. 80., & cap. illud ſanè diſt. 80. tùm in Concilio Laodiceno ſub Sylveſtro primo can. 57., tùm in Sardicenſe can. 6., ſed quod majus eſt, id videtur D. Pauli decretũ in epiſt. ad Titum cap. 1., & ſacri ibidem expoſitores affirmant. Verùm non ob id, quòd Lucenſis Civitas, ſtatim ac Petrus Romanam Cathedram fixit, in Epiſcopalem Sedem evaſerit, magnam fuiſſe velim, at quia magna erat, & multarum gentium converſioni opportuna, ideò ex Apoſtolico inſtituto Epiſcopali Sede decoratam fuiſſe dixerim. Neque hìc neceſſe habeo amplificandę Urbi concinnare mendacium. Nudam dabo ante Chriſtum, & Apoſtolorum ævo non maximam intra mœnia Civitatẽ, ſed ingentem vicatìm habitantem populum, & cujus nobilis famę latè veſtigia manarant. Evocemus ſi libet vetera, & per annalium noſtrorum compendia decurramus.

Lucam eodem nomine, tàm regionem, quàm Urbem ab antiquiſſimo tempore dictam invenio. Ridentur, qui vel ab auratis clypeis ad ſolis repercuſſum ſuper turres fulgentibus nomen accepiſſe exiſtimarunt, vel ab Elephante Luca magno Varronis bove, maxima, vel bove digna oſcitantia ad Urbem noſtram nomen traxerunt. Falluntur & hi, qui ex vera hiſtoria non verum ethymon derivantes à prima Evangelij luce appellatam Urbem minùs in optimis ſcriptoribus verſati jactitarunt; ex vetuſtis enim ſcriptoribus multis ante ſalutem ſœculis eodem nomine

Lucam nuncupatam ſcimus, cum & Annibale Italiam
536. vaſtante Sempronius Lucam contenderit anno Urbis..
216. Et ante Chriſtum.... ibidem Coloniam adverſus *Li*-gures Romani deduxerint. Eodem nomine circumpoſitam regionem, cujus princeps, & caput Luca eſſet, membra verò occidentaliora à montibus Lunæ ſuperjacentibus inciperent, me Strabo docuit. Nec novum eſt, tàm regionem, quàm Urbem dominam eodem prorſus vocabulo nuncupatam fuiſſe, & de Maſſilia apertè id monet Græcus Dionyſij ſcholiaſtes. Nec Luca Urbs tantùm erat, quæ mœnibus non maximæ capacitatis cingebatur, nàm & proximiores vici, quę brachia uſque adhuc antiquo nomine dicuntur, in Civitatis corpus recenſebantur, & quia vicatim plerique Lucenſium habitabant, ut olim Mediolanenſes, eodem Strabone teſte, & ipſa regio Luca dicebatur; Urbs quidem antiquiſſimæ nobilitatis, & cujus ignota origo ſummam vetuſtatem decernat. Prima quidem, quæ de ipſa extent apud Livium, & Frontinum ex antiquioribus hiſtorijs monumenta, jàm non modò Urbem, ſed munitiſſimam docent, dùm alter Domitio Calvino addictam *Li*guribus urbem Lucam obſidente, non niſi ſtratagemate captam fuiſſe narrat, anno ut ex Domitij Calvini ætate, ac Ligurum in ea Thuſciæ parte, ſeu domi-
470. natu, ſeu ſoedere dignoſcitur, Urbis circiter...., alter Lucam meinoret, & Sempronio Annibali oppoſito tutiſſimùm refugium fuiſſe conſentiat. Sunt ex noſtris, qui putent Lucagum Romulo ex Hetruria auxiliarium, ac

Lu-

Lucumonem Galeritum, cujus Propertius meminit, Lucenſium militum duces fuiſſe. At duriora hæc coniectanea longiùs à meo conſilio abeunt, longiſſimè verò Amnij Viterbienſis figmenta, quæ aliquibus præteritæ ætatis authoribus impoſuerunt, ex cujus maleſano cerebro natum Catonem, qui in originibus circumfertur, à veritatis domo expedit exulare. Valeat ergò tanquàm ex lutulento illo fonte prognatus Lucius Lucumo, qui Lucam aliquibus condidit, aliquibus propria gloria illuſtravit, quamquam & Lucam, quæcumque ſit antiquiſſimi nominis origo, ſuos aliquando Lucumones habuiſſe, non negarem. Hoc certum eſt, Lucenſem regionem vetuſtiſſimis ante Romanam potentiam temporibus in Hetruria computatam eſſe, deindè tranſiſſe in Liguriam. Teſtem hujus rei locupletiſſimum Livium habemus, qui agrum Romanis Civibus in deducta Colonia aſſignatum à Liguribus abſtractum, *Hetruſcorum antequam Ligurum*, fuiſſe narrat. An verò, ut plures Hetruſcorum Urbes, primùm Colonia Græcorum fuerit, ignorare me fateor; probabili tamen ductus coniectura non negarem, cum occidentalior Thuſciæ pars dudùm indigenis Umbris expulſis, primò Pelaſgis ceſſerit, mox Lydis, ſeu Tyrrhenis acceſſerit, ut Plinius docet. Tyrrhenos duodecim conditis Urbibus ſub Tarconte, magnę initiò fuiſſe potentię, retulit Strabo, ſed diſſoluto poſtmodũ cõcordi regendi ſtatu, *Civitates ipſas divulſas ſic finitimorum viribus ceſſiſſe* deindè addit, antequam nimirùm Tarquinius Priſcus Romæ regnaret.

Ità inter has duodecim Urbes, quarum aliquæ finitimis populis ceſſerunt, dùm aliæ magis ad orientem poſitæ in earum numerum à Tyrrhenis, ſeu Thuſcis ſubrogabantur, Lucam fuiſſe, facilè crederem, atque ità ſcriptoribus illis conſentirem, qui eam inter Hetruſcas duodecim numeratam eſſe perhibent. At gnicente poſtea ſub Regibus Romana potentia, inter Hetruſcas principes memoratam, me non invenire profiteor, neque apud Dionyſium, neque apud Livium. Tunc enim Liguria, quæ amne Macra priùs ab Hetruria diſcriminabatur, ad Arnum uſque, ut mox oſtendemus, pertingebat. Sivè ergò Luca Hetruſca *ob res ſecundas nomen cum finitimis Liguribus* communicaverit, ut univerſim de Italis Strabo retulit, vel cum ijſdem foederata, vel ab ijſdem ſubacta, eaſdem belli, paciſque leges profiteretur, hoc certum eſt ex Ariſtotele, Livio, ac Frontino in primis Romanę Reipublicæ incrementis Lucam inter Ligures fuiſſe adnumeratam.

Alter enim Auſeris,& Arni divergium inter Ligures agnoſcit, dùm miranda de ijſdem fluminibus cum Strabone prodidit, alter ejuſdem agrum in deductione Coloniæ à Liguribus ablatũ memorat, tertius verò Ligurum fortiſſimam Civitatem à Domitio Calvino Romanis armis fruſtra, alijſque oppugnatam teſtatur. Iterùm autem hinc faceſſat vaniſſimus Viterbienſis Cato, doctioribus etiam viris fucum faciens, qui Apuam caſtrum, antiquis omnibus Geographis ignotum, Apuanis Liguribus, non minùs jura, quàm nomen impẽdiſſe fabulatur, & indè recentiores Põ-

tem

tem Remulum fuiſſe acceperunt. Quo enim tempore Luca Liguribus accẽſebatur, non inter alios Ligures reputari, quam inter conterminos Apuanos poterat. Inter hos autem cum Apuam ſomniatum Amnij caſtrũ, nec Strabo, nec Plinius, aut alius ex antiquis conſtituat, quin potiùs cum Strabo, Luca Urbe, ac regione ex recentiori partitione in agro Gallico jàm deſcripta, addat, reliquam, ac ſecundariam Liguriam in Apenninis montibus intra Galliam, atque Hetruriam poſitam, *nullum locum deſcriptione dignum* habere, niſi quod vicatim populi illi, ut de Lucenſibus jàm dixerat, vitam agerent, certum eſt nullum oppidum notatione dignum ibi fuiſſe, prẽter Lucam Ligurum oppidum, quemadmodum Frontinum ex antiquioribus hiſtoricis idem nuncupaſſe jàm ſupra adnotavimus. Quia verò & qui Apuani Ligures dicebantur, inter Arnum, & Macram, & Apenninos montes tractum incolebant, jàm ex his Lucenſium regio Lunæ montibus incumbens, ex Strabone deſignatur. Neque enim Apuanæ denominationis fontem neceſſe eſt ex aliquo hujus nominis gratis ſuper inducto caſtro deducere, cum & Apuani montes, Petra Apuana ſcriptoribus, nobiſque non nihil corrupta voce vocati Pietra Pana, & Panie, huic regioni facilè nomen indidiſſe potuerint, ſive antiquo, Græcoque vocabulo latinitate donato Apuani Ligures, quaſi Umbroligures dicerẽtur. Ex Plinio profectò patet occidentaliorem Hetruriæ regionem, & ad Macram pertingentem, antequam à Pelaſgis, & Lydis ſubigeretur, antiquiſſimos Umbros incoluiſſe

iſſe, qui ideò Umbri, ſive Ombri appellarentur, quia Cataclíſmi imbribus veluti nati ſuperfuiſſent, ut idem Plinius, & apud Solinum Marcus Antonius docuit, quòd idem eſſet, ac Apuanos quaſi ex plvvia natos vocare. Id me de Apua piſce docuit Plinius, dum ait, *Apuam noſtri, Aphyen Græci vocant, quoniam is piſciculus, è plvvia naſcitur*, fortèque Apuani à Romanis joco appellari poterant Ligures illi antiquiores, utpotè qui ex plvvioſa clade ſuperſtites, tanquã è plvvia viles piſciculi nati eſſent Umbri, & Apuani dicerentur. At quia nomina ad placitum imponi poſſunt, quæcumque ſit Apuani nominis origo, hoc equidem ex Livio, alijſque conſtat, Apuanos Ligures Piſanis fuiſſe conterminos, & indè non tantùm ad Macram, & Lunæ portum, quà mare inferum extenditur, ſed in mediterraneis ad Macræ fontes, & ubi hodie Ponſremulus eſt, ac per boreales montes ad Arnum, vel ſaltem ad Sarculum uſq; decurriſſe, idque pluribus antiquorum ſcriptorum teſtimonijs latè in Annalibus noſtris, non dùm editis, probatũ fuiſſe ſupponimus, quem terræ tractum, antiquam, ac recentem Lucenſium ditionem cõtinuiſſe dubitandum non eſt. In hac regione nullam præter Lucam inſignem Urbem fuiſſe, ex Strabone jam doctiſſimus adnotavit Clvverius, qui tamen memoria lapſus, & ab Amniano Catone quem alioquin exhorrebat deceptus, ab Apuæ figmento non abhorruit. Sive ergò Luca Umbrorum, hoc eſt indigenarum oppidum, aut Civitas primùm fuerit, moxque Pelaſgorum, & Lydorum, ſeu Tyrrhenorum Colonia extite-

titerit, ut ex Plinio educitur, ſive Umbri per Noemi nepotes aquoſæ cladi ſuperſtites, ijdem ſint antiquiſſimi hujus occidentalioris Hetruriæ incolæ, ſive ijdem cum Tyrrhenis confundantur, non advenæ, ſed innatæ gentes fuerunt, ut Dionyſio placuit, hoc unum certiſſimum exiſtimarem, quòd, cum inter Hetruſcas Urbes, ſeu regiones Luca aliquando recenſita fuerit, hoc eſt, antequam Ligurum eſſet, nequaquam tunc inter Hetruſcas eſſe potuit, hoc eſt dùm Romana Reſpublica naſceretur. Tunc enim jàm Hetruſcorum imperium licet ad mare inferum adhuc florentiſſimum eſſet, ultra Apenninum tamen, & mare ſuperum, & ultra Arnum eſſe deſierat. Illinc ergò Gallis, indè montanis Liguribus in ulteriorem terram deſcendere conantibus, Hetruriam ad Arnum uſque Liguribus vel ſociatam, vel addictam fuiſſe non addubito. Præter Ariſtotelem, qui Alexandro Magno advixit, teſtem addo Polybium, qui cum Scipione floruit. Is ad Arnum uſque Liguriam extendit, Piſaſque in maritima ora, & in Mediterraneis Aretinam regionem Ligurum fuiſſe terminum docuit, quemadmodum à Marciano Heracleenſi, & Scylace Græcis antquis authoribus, apud Clverium confirmari video. Cum verò antiqua Ligurum hæc regio Tyrrhenorum, ſive Hetruſcorum fuerit, non niſi ex vetuſtiſſimis Tyrrhenorum Urbibus eſſe potuit, ſive Tyrrheni indigenę cum Umbris, ſeu Noemi poſt imbrium cladem ad Italiam transfretantibus ſucceſſoribus, ijdem ſub diverſo nomine ſint, ſive cum Lydis confundantur. At cum

Tyr-

Tyrrheni,non advena, ſed indigena gens, ità græco nomine propter turrita domicilia nuncuparentur, ut Dionyſius Halicarnaſſeus apertè ſentit, nulla magis Civitas Tyrrhenorum morem retulit, quàm Luca turrita maximè Urbs, & in qua olim ad ſeptingentas Turres numerarentur. Quia verò à mari recedit, ut Plinius ait, Tyrrhenorum hoc etiam Urbem ſapit, qui, docente Strabone, nullã aliam præter Populonium ad mare Civitatẽ fundaverant, quia tractus regionis ejus importuoſus eſſet. Nec eſt,quòd aliquis Piſas obijciat mari proximas, hæc enim non Tyrrhenorum, ſed Græcorum è Peloponneſo Urbem fuiſſe antiqui ſcriptores planè docent, quo argumento convincitur Lunam ad mare oppidum à Tyrrhenis, ſeu indigenis eadem ratione nequaquam fuiſſe conditam. Lucam igitur Apuanæ Ligurię caput,his rationibus adductus, fuiſſe exiſtimavi,quouſque univerſa ſubacta Liguria ad reliquos Ligures coercendos, jamque domitos in fide continẽdos, Romanorum Colonia deduceretur. Idque non, ut Romanæ plebis ſentina exhauriretur, ſed eo potiſſimũ tempore, quo graſſante in Urbe peſtilentia vix ad ingruentes bellorum motus urbanorum militum delectus expleri poterant, ut ex Livio manifeſtè educitur, Colonia deducta eſt,non Latina, non militaris, ſed duorum milliũ Civium Romanorum, deducentibus ex Senatus Romani principibus Triumviris. Aſſignata ultra montanam, ac ſaltuoſam regionem quinquagena, & ſingula cum ſemiſſe terræ ad culturam diſpoſitæ jugera in ſingulos cives, quan-

quanta Colonia fuerit, oſtendunt; cum paucis exceptis nulla, vel majus, vel æquale regionis ſpacium acceperit. Indè minimè arduum fuit, Coloniam ex Romano ſanguine traducem, Municipium evadere, non quidem abuſivo nomine, & jàm reliquis Italis vulgata Civitate, ſed altioris gradus, & apud Feſtum tertij generis, hoc eſt, quę non modò omnibus Civium Romanorum juribus etiam cum ſuffragio in Arnienſi tribu, ut arbitror, recenſita gauderet, ſed in propria inſuper Urbe proprijs, & municipalibus legibus viveret. Poſtquam verò cum reliqua Liguria in Galliæ Ciſalpinæ Provincia adnumerari cœpit Romanæ urbi reliquis Civitatibus proximior, Proconſulis non rarò ſedes fuit. Hinc Suetonio, & Plutarcho Cœſaris Gallias gubernantis diverticulum, & hyemalis ſtatio Lucæ memoratur. Hìc non vulgares conventus aliquando Cœſar habuit, illumque præ cœteris, ex quo Romanorum tot ſœculis formidanda Reſpublica in Triumviratũ prorſus corrverit. Tunc ante Cœſaris ædem in eadem Lucenſi Urbe centum viginti Romanorum Magiſtratuum, Proconſulum, ac Prætorum faſces viſi, tunc Senatores plures ducentis, pars referentes gratias, pars beneficia quærentes ad Cœſarem ibidem procurrerunt, ut Suetonius, Plutarchus, Appianus luculentiſſimè teſtantur. Ne quis autem fortuitum hunc Triumvirorum conventum *Lucæ* accidiſſe putet, Sigonium doctiſſimum conſulat, qui de jure Provinciæ Galliæ Italicæ diſſerens ex antiquis ſcriptoribus, *jus in Gallia dictum Aquilejæ, Mediolani, Ravennis, &*

Lucæ, ibique habitos conventus oſtendit, & licèt per novam Romani Imperij ſub Auguſto partitionem ex Gallia Ciſalpina Provincia in Hetruriam redierit, magnitudinem tamen ſuam, non exuit; Teſtis Strabo eſt, qui licèt ſub Tiberio poſt Auguſti diviſionem terrarum orbem dimenſus ſit, non modò Lucam adhuc in Gallia Ciſalpina populoſæ regionis caput conſtituit, ſed ipſam Galliam Ciſalpinam ad Piſanum uſque agrum extendi docuit, & Lucenſis ditionis terminos, non obſcurè deſignavit, ab occidentali nimirum latere Lunæ montes, ab orientali mõtium in Piſano agro ad ortum ſe ſe inflectentium cacumina, in Septemtrione Apenninum, & à Meridie Tyrrhenum mare. Nec tantùm, quam latè olim patuerit *Lucenſis* regio, diviſa inter Romanos colonos prædia, & antiqui, ex Strabone deſignati fines oſtendere valent, ſed inſuper vetuſtiſſimæ Diœceſis ab immemorabili tempore limites, qui eruditorum conſenſu antiqui dominatus teſtes idonei ſunt, id ſatis apertè demonſtrant. Avorum noſtrorum memoria, anno nempè 1519. Leo X. Piſciæ præfecturam ab Epiſcopatus Lucenſis jure divulſit, valliſque Arianę majorem partem, univerſam Nebulę, ſeu Neuræ vallem uſque ad Nebulæ flumen, & ad Piſtorienſium ferè Seravallis anguſtias extenſam, eidem de *Lucenſe* Diœceſi aſſignavit. Noſtra verò ætate Gregorius XV. tantam *Lucenſis* Epiſcopatus partem diſcerpſit, ut erecto in Epiſcopalem Sedem Sancti Miniatis Caſtro, & Epiſcopatum integrè in fragmento *Lucenſis* Diœceſis conſtituerit hac in

Bul-

Bulla addita epigraphe, *Attendentes Diœceſim Lucanam admodum amplam, & patentem eſſe.* Hæc autem ablata ſegmẽta, cum ampla, quæ adhuc remanet, ditione, tùm in Caferoniana Provincia, tùm in Verſilia ſub temporali dominatu Magni Florentini, & Mutinenſis Ducum, non utique indulgentia Pontificum noviſſimis ſæculis in Lucenſis Epiſcopatus jura ceſſerunt, ſed quanta quãta in Epiſcopali tabulario ab anno ſexcenteſimo monumenta exiſtunt, eadem antiquo jure poſſediſſe demonſtrant. Hinc quantùm fides membranæ à recentioribus Piſarum Chronographis memoratę, & ab Ughellio ad calcem tertij voluminis recenſitæ vacillet, patet apertè; ſed in Annalibus Deo Favente ineluctabilibus argumentis demonſtrari præcipuè poſſe, non diffido. Regio hęc à Civitatis nomine Luca nuncupata, quamque *plerique* Lucenſium *vicatim habitabant*, vix numerari poſſet quot nam oppidulis, viciſque cõſtaret, ut præter maximam adhuc extantium multitudinẽ, non modò in apricis collibus, ſed in ſummis etiã montium jugis, oppidorum, & turrium rudera paſſim dilapidata proſtent, alia inter dumos, vepreſque ſepulta jaceant, alia in antiquis membranis ignotis penè nominibus memorentur. Ad populorum verò frequentiam, regioniſque dignitatem gentis conditio maximè accedebat, utpotè quæ militaribus ordinibus apta magnam militum electorum, & equitatus copiam Romano Senatui ſuppeditaret, & quod inſuper ad faciliùs Chriſtianam religionem capeſſendam in primis facit, *bonitate virorum* floreret. Ità Strabo Lucensẽ re-

regionem ampliſſimis dotibus refertam deſignat, dùm tamen in Urbis topographia ſæculorum injuria mutilum eſſe, & lacunoſum eruditiores animadvertunt. Quibus ex antiquitatis penu ſinè fuco depromptis, nemo jure mirabitur, Apoſtolorum Principem primam in occidentali Thuſcia urbem Lucã pro prima Chriſtianitate latiùs diffundenda ſelegiſſe, quippe, quæ dudùm Apuanorum caput, & recentiùs in Gallia Ciſalpina juri dicundo cum alijs quatuor ampliſſimis Urbibus prę fecta, circumſtantibus populis dilatandæ fidei viam faciliùs aperiret, & ex civili dignitate illuſtrior, acceptiorque Chriſtiana ſoboles evaderet. Idem enim & in Patriarchalibus extruendis ſedibus, ab Eccleſia obſervatum tradit Baronius, & ex eo Lorinus, ut nempè primatus honorem tribueret, cui etiam civilis Romanus magiſtratus detulerit. Quia igitur inter antiquos Varnefridus teſtatur, ſtatim ac Romam Petrus ingreſſus fuit ad ſummas quaſque Civitates Epiſcopos direxiſſe, & quia eodem authore ſcimus, Marcum Aquilejã, Apollinarem Ravennam, Anatolium Mediolanum Epiſcopos ſtatim miſſos fuiſſe, eadem ratione Paulinum Lucã directum eſſe credidimus, utpotè quæ paulò ante Galliæ Ciſalpinę civilibus peragendis negocijs una cum Aquileja, Mediolano, Ravenniſque etiam Urbs Luca præficeretur. At præter divinam Petro tanquam Chriſti Vicario, inſitã vim huic genti, & non illi Evangelicum peculiaritèr largiendi prę conem, alia jàm ex Strabone indicata ratio non defuit, facilior nempe Chriſtianæ fidei proventus ex bonitatis

tis nativę fama, qua Lucenſes recolebantur. Dùm enim Lucenſium regio, ſub Claudio, cui advixit Strabo, bonitate virorum florebat, Petrus utique, qui in Italiam exierat ſeminare ſemen ſuum, ex Chriſti parabola jàm didiciſſe poterat, ſi caderet in terram bonam, fructum in Evangelica meſſe centeſimum, vel ſexageſimum dare. Quod planè ità eveniſſe dignoſcitur. Inflata enim per Paulinum veritatis tuba Lucenſes primos, ex Hetruria, & ex Luca urbe ferè omnes Chriſto manus dediſſe, ex ſequētibus monumentis apertiſſimè conſtare arbitror.

Lucenſes prima Monaſticæ, & Eremiticæ vitæ ſaltem in Italia ſemina jeciſſe demonſtratur, undè & citiſſimè apud eoſdem Chriſtianam fidem floruiſſe deducitur.

CAP. VIIII.

MOnaſticæ vitę inſtitutum inter ea ſymbola repoſuit Bellarminius, quibus Eccleſię Catholicę ab omnibus hæreticorum conventiculis ſecerneretur. Apoſtolicę in Thuſcia ſurgenti Eccleſiæ, nec aſceticę vitæ ſpecimen defuit, & in Antonio Eremita Paulini diſcipulo primum monachorum in Italia lumen emerſit, ut Lucenſis Civitas hinc etiam gloriari poſſit in Domino, primum Eremitam, ac monachum nō modò Hetrurię, ſed Italiæ univerſæ dedi.ſe. Neminem profectò antiquiorem Antonio poſt Chriſti

ſti vulgatam fidem, nanciſci licuit, qui ſolitariam vitam elegerit, & qui eremiticum nomen ad poſteros ttanſmiſerit, & aſſeclas reliquerit: ſed age; more noſtro antiquis monumentis dicta probemus, & Dei gloriam in Antonio enarremus, ut hinc Magdeburgenſes Centuriatores nugari etiam deſinant, Monachiſmum Pauli tantùm Eremitæ tẽporibus cępiſſe. Fateor in Nitria, & Ægypto Paulum aſcetarum ſuo ſæculo authorem fuiſſe, & D. Hieronymum ſcio, ità ad Euſtochium ſentire, dùm *hujus vitæ*, inquit, author eſt *Paulus, illuſtrator Antonius*, ſed ſicut ad ſuperiora conſcendens illi monachorum *Princeps Joannes Baptiſta* fuit, ſic etiam mihi liceat in Antonio, tunc Hieronymo ignoto, ad antiquiora migrare, & Hetruſcum Eremitam ante primum Eremitam tercentis ferè annis venerari. Idem profectò ſanctus Doctor Monachi nomen potiſſimùm Eremitis cõvenire innvit, qui ſoli habitabant, inquit enim ad Heliodorum, *Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt tuum; quid facis in Turba, qui ſolus es?* & quamquam nomen Monachi, tàm Eremitis, quàm Cœnobitis idem ad Euſtochium voluerit eſſe commune, Dionyſius quidem Areopagita, ex Apoſtolicis ſanctionibus ita de Monacis loquitur. *Undè ſancti præcæptores noſtri divinis eos appellationibus ſunt perſecuti, partim Therapeutas, id eſt cultores, à sincero Dei famulatu, atque cultu, partim Monachos, ab individua, & ſingulari vita, appellantes, ut quæ illos ſanctis diviſibilium complicationibus, in divinã, & Deo gratam Monadem, perfectionemque promoveat.* Hinc D. Chryſoſtomus Joannem Baptiſtam Monachorum Principem,

cipem, non ſemel dixit, tunc enim præcipuè, cum inquit: *Conſiderate Monachi dignitatem veſtram; Joannes Princeps veſtri eſt dogmatis. Ipſe Monachus ſtatim ut natus, in Eremo vivit, in Eremo nutritur.* Hoc equidem de D. noſtro Antonio dici poſſe videtur, qui in D. Paulini actis, navata primùm cum præceptore opera in Eccleſiarum erectione, & prędicatione, dicitur, *Glorioſus Chriſti confeſſor & Presbyter ſenex Antonius, qui dùm præceptor agonem conſummavit, in montibus, qui ſunt inter Lucam, & Piſas, vitam agebat ſolitariam.* In eodem monte jàm etiam latebat, dùm Torpeti baptiſmum ſalutis contulit. Sanctus enim martyr *ſciens, quòd ſanctus Presbyter nomine Antonius abſconditus eſſet in monte, per noctem ambulavit ad eum.* Nec enim tantùm metu perſecutionis ſanctus Eremita latebat, ſed quia ibidem locum orationis ſelegerat. Tunc enim *ſanctus Presbyter Antonius de loco orationis ſuæ Torpeti* reſpondit, & indè exiens, novum Chriſti Athletam ſalutaribus undis expiavit. Sed apertiſſimè aſceticam vitam Antonium elegiſſe Hiſtoria, quæ in perantiquo Paulinianę Baſilicę codice continetur, ità manifeſtè convincit, ut negare prorſus eſſet temerarium. Ex qua, licèt integram deinceps exhibeamus, hęc liceat prælibare. *Cumque hujuſcemodi vitam ſuam eligendo, hujus ſpinoſa gaudia mundi contemnens, in territorio Lucano, ſtadiorum quinque ſpatio, ab Urbe diſtante, in Monte prænominato Piſano, cellulam ſuam, & Eccleſiam ædificavit in Chriſti obſequijs valituram. Quæ utique Eccleſia, & locus uſque modò B. Antonij ſingulari nomine nuncupatur. In quo cęlibem diù protelando, & deducendo Eremiticam vitam.*

tam, dulcia ejus acta ineffabilis finis, & exitus valdè collaudant. Sed ſepulcralis inſcriptio, quæ ſupra Sancti corpus invẽta fuit anno Chriſti M. CC. ſub Guidone Epiſcopo, ut infra oſtendemus, non modò Eremitam D. Antonium fuiſſe oſtendit, ſed alios deinceps ab eo fluxiſſe Eremitas, non obſcurè deſignat. Hanc adſcribere libet integram, & qua potui diligentia ab ipſo tumulo extractam, ut quantùm variet ab ea, quam affert Franciottus, & Razzius oſtendamus. Neque enim ab ijſdem ſine diminutione adducitur.

✠ *Ecce hìc eſt corpus S. Antonij Presbyteri. & Heremite. qui ſepeliebat corpora*

Sanctorum martyrum ſub Nerone Imperatore. & Anolino decollati. die s. reſurrect. & IIII. die Madij.

sancte. require corpora Epiſcoporum. hujus Urbis. Presbyterorum. Heremitar. militum. martyr. & conf. S. Dioniſ. dedicav. Eccleſiam iſtam

in honore Salvatoris Celi & Terre. & Sanctorum martyrum. & Conf. VIIII. X.

die Octub. tempor. S. Clementis Pape. & mart. Urbis Romæ ✠ *III.* ✠

Anno Domini. M.C.C. primò inventus eſt beatus Antonius & de monumento extractus menſe Februarij.

Sí ergò præter Antonium primùm anachoretam, alij Eremitæ in SS. cellula, cum alijs ſanctis ſepulti ſunt, quis & anteſignanum alios ſubſecutos eſſe negabit? Jàm patet à primis temporibus ſanctos Eremitas ibi ſepultos,

quo-

quorum nomina, imò & corpora hucusque Deus ignorari voluerit. Extat quoquè membranaceum monumentũ in Archivio S. Pontiani de anno 1044., in quo non modò in eodem monte, ubi olim vixit Antonius, Ecclesiam sub ipsius nomine tunc existere asseritur, sed montem ipsum appellari Eremiticum, & Eremitæ. In eodem loco devoti quidam, ac religiosi viri solitariam, & monasticam vitam sibi deligentes, aliam propè jàm dictam Ecclesiam D. Antonij construxerunt, in qua aptè Deo servire valerent. Locum describentes antiquissimum D. Antonij Eremitarum authoris historiæ, apprimè lucem his verbis adferunt. *In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Æterni anno ab Incarnatione ejus millesimo Quadragesimo quarto septimo Calendarum Augustarum indictione duodecima. Manifesti sumus nos Joannes, & Bonatus, & Bonaldus, licèt indigni sacerdotes, & Petrus Clericus, & Eremita, & Villanus Deo devotus, quia summa devotione offerimus summo, & Omnipotenti Deo nostro pro animarum nostrarum remedio Ecclesiam nostram unam nostro proprio ædificatam in loco, & finibus, ubi vocatur Mons Eremitæ, non longè ab Ecclesia S. Antonij, cui videlicèt nostræ Ecclesiæ vocabulum est B. S. Pantaleonis inclyti martyris, & B. Mariæ semper Virginis, & B. Petri Principis Apostolorum, & S. Marci Evangelistæ, nec non S. Martialis, atque Nicolai, simulque Simeonis, quæ ex omni parte est circumdata de terra nostra, quam adhuc nobis reseruamus. Et quoniam videmus mundi mala quotidiè crescere, & ejus ruinas ex omni parte sonare, statuimus uno animo conturbationes hujus sæculi fugere, & à sæcularibus hominibus lon-*

gè *ſeparati, in ſecretis, & denſis locis, aſperiſque montibus in prædicta Eccleſia ſimul vivere, & ibi ſervire Deo noſtro*. Conſecrationem novę illius Eccleſię tunc peractam exiſtimo; Septimo enim Calendas Auguſti, hoc eſt in ipſo S. Pantaleonis pervigilio, *in præfato monte Eremitæ juxta dictam Eccleſiam S. Pantaleonis excellentis martyris*, aderat Joannes Epiſcopus Lucenſis, qui cum omnibus dignitatibus Cathedralis, alijſque Canonicis, Abbatibus S. Pontiani, ac S. Frigdiani ſubſcribunt. Aderat ergò priùs in eodem loco, & Eccleſia S. Antonij, & Eremita Petrus Clericus, cui alij tres ſacerdotes, & laicus unus adiuncti, novam ibi Eccleſiam ędificarunt, ad hoc, ut in ſolitudine illa aſperi montis Deo famulari poſſent. Permanſit ibi anachoretica obſervantia, quouſque, ut humanæ imbecillitatis mos eſt, sẽſim evaneſcens, ut reformaretur ibidem religio, eadem Eccleſia S. Pantaleonis, & Antonij conceſſa fuit Hieronymo Priori S. Frigdiani Lucenſis, & ejus fratribus ab Innocentio II. anno 1137. ſub datum Romæ Kalend. Novembris indictione prima anno octavo Pontificatus. At repugnantibus Canonicis S. Martini, imò & populo Lucenſi, quia aliqui presbyteri, in eodem loco vitam parùm religiosè agebant, eamdem Eccleſiam Innocentius ſuppoſuit interdicto, ſed inobedientes illi parere non modò Pontifici renuerunt, ſed & contra interdicti pręcœptum Sacra celebrantes S. Frigdiani Canonicos injuriosè expulerunt. Undè Eugenius III. ſcribens deindè non tàm Epiſcopo, quâ Lucenſibus Conſulibus excommunicationis ſententiam ra-

ratam habuit, datum Auriſiodori quinto kal. Auguſti. Sed ab Anaſtaſio Pontifice, qui miſericorditer egit, & lõgum interdictum illius Eccleſiæ removit, ſcribitur Gregorio Epiſcopo Lucano, ut Prior ibi non eligatur, niſi de cõſenſu Prioris S. Frigdiani, reſervans tamen adducenda jura, tàm ipſi Epiſcopo, quàm Canonicis S. Martini. Ex hujuſmodi diſſentionibus eveniſſe arbitror, nt Eccleſia S. Antonij, & S. Pantaleonis in collapſum iret. Anno autem 1233., Gregorius Nonus Abbati S. Galgani Ciſtercienſis Ordinis Volaterranæ Diœceſis ſcripſit, Nobiles quoſdam Lucenſes optare, ut Ciſtercenſis inſtituti Cœnobium in eorumdem regione proprijs impenſis ædificaretur, poſſeſſiones ad id amplas offerentes, Eccleſiam eamdem S. Pantaleonis propoſuit, ac Ciſtercienſibus elargitus eſt, ità de ijſdẽ nobilibus loquẽs, *queſitũ diutiùs locum aptum, & tandem monſtratum à Domino invenerunt, Eccleſiam videlicèt Regularem S. Pantaleonis de monte Hæremitico Lucanæ Diœceſis, quæ commoda ſitu loci, aquarum influentia, vicinitate nemorum, & à ſtrepitu circum habitantium ſeparata, latè ſinum expandens, placidè ſe coaptat, ut cernitur, ad Ordinis hujus amplexum, & ad ſuum incolatum ipſum videtur quodammodò invitare, præſertim cum in ſpiritualibus, prout docet inquiſitio nuper facta, expedit in ordine, ac miniſtris Domino famulantibus renovari.* Ità datum Anagniæ pridie kal. Februarij anno ſexto, & ideò Pontifex Ciſtercienſibus Eccleſiam aggregavit. Nec ſilere hìc poſſum, nobiles illos Lucenſes, non modò impenſas obtuliſſe, ſed anachoreticæ vitæ ardore flagrantes, ibidem ſanctum habitum ſuſcepiſ-

ſe, atque inter eos etiam fuiſſe, qui matrimonio juncti, raro exemplo, à ſæcularibus curis avellerentur. En quæ in fine Bullæ ejuſdem Gregorij adduntur, audire non pigeat. *Dictis verò nobilibus proprijs nominibus exprimendis in dicta Eccleſia Domino ſervituris habitum Ordinis tui tradas, dùm tamen uxores illorum, qui juncti ſunt matrimonio, liberam, & ſpontaneã licentiam illis tribuant, & priùs habitu religionis aſſumpto, aliquod clauſtrum intrent, vouentes, & publicè promittentes, ſub regulari obſervantia ſe perpetuò manſuras. Hoc enim Fratri Philippo de Ordine Fratrum minorum, Viſitatori Monaſteriorum pauperum incluſarum, dedimus noſtris literis in mandatis, ut ipſas, nec non matres, & ſorores ipſorum, ſi voluerint, debeant in monaſterijs earumdem incluſarum, quæ minori gravata ſunt numero, collocare.* Sed heu! tàm ſanctus locus lapſu temporis, etiam Ciſtercienſium refrigeſcente obſervantia, ſeu potiùs bellorum devaſtatus calamitatibus, ab omni penitùs anachoreticæ vitæ inſtituto receſſit, & ab Eugenio quarto anno 1441. tanquam deſertus, & à pluribus annis ſine Abbate, & Monacis Ciſtercienſibus, unitur perpetuòEccleſiæ Cathedralis Lucenſis Beneficiatis, donèc penitùs ex bellorum frequentia deſtructæ ædes, in laicorum uſum tranſierint, rariſſimè in Eccleſia S. Pantaleonis, & Antonij, quæ remanet, ſacris myſterijs celebratis, & ſic antiquum S. Antonij Eremitorium in animalium tugurium deſijt. Locus tamen redolet antiquam venerationem, & adhuc propè cautes quaſdam horridas appellatur Pratum S. Antonij, & antiquam ædiculam, quæ nunc ſemidirutum mapalium eſt,

à ſe-

à ſene octuagenario ejuſdem loci incola, S. Antonij Eremitorium fuiſſe, ex aliorum traditione aſſeritur. Utinam devaſtationes barbarorum, incendia, ac ipſa temporis edacitas, quam plurima monumenta, non peſſundediſſent, facilè pateret jugis, & perpetua Monachorum in Lucana Urbe, & Diœcœſi ab Antonio Eremita ſucceſſio; libeat tamen universìm, ex antiquioribus Lucenſis Eccleſiæ monumentis analecta colligere. Hinc enim patebit ante decimum ſeculum quanta fuerit Monachorum feracitas, & quanti à ſecularibus converſationibus ſejuncti, Monachiſmum ſectati fuerint, ut hinc etiam ad vitam ſingulariùs eremiticam, viam ſternamus. Igitur quamvis poſt glorioſos martyrum agones, in Eccleſia Lucenſi, non defuerint, qui morum ſanctitate, ac titulo inſigniti, in Lucenſium Dypticis colantur, cum tamen injuria temporum eorūdem præcipua acta ad nos nequaquā pervenerint, & poſt Valerium, Follarium, & Theodorum ad D. Frigdianum uſque Eccleſiaſtica apud nos hiſtoria ſileat, nec de multis ſanctis viris, qui in ſanctorum cellula ſepulti, in ſupra poſita inſcriptione memorantur aliud remaneat, quàm generica indicatio, ità de S. Anachoretis, quorum ibidem memoria agitur, ad D. Frigdiani tempus, nullum mihi apùd nos invenire licuit monumentum. B. Dorotheus eremita antiquiſſimus habetur, ac neſcitur à quo tempore pro pè Cardusū Caſtrū, Vallē incoluerit. S. Peregrinus Regis filius anno 479. eremiticā vitā duxit in alpibus. D. Auguſtinū Eccleſiæ lumen in monte Piſano moram aliquam traxiſſe,

& ibi-

& ibidem in Lucēſi ditione vitam Eremiticam duxiſſe ante D. Frigdianum circa annum 389. infra pluribus oſtendemus. Primùm ergò, etiam ſi D. Frigdianus natione Hybernus in eadem Inſula monaſticam vitam duxerit priùs, quàm in Thuſciam pervenerit, nihilominùs inter Lucenſis eremi incolas eumdem enumeratum eſſe non prę-teribo. Scio hoc non legi, tàm in ejus Epiſcopi vita apud Franciottum, quàm in ea, quæ primùm Florentiæ in uũs Eccleſiaſtici Officij, deindè alibi excuſa eſt; ſed quod apud Razzium ſatis indicatur, expreſſiſsimè in binis membraneis, & antiquiſſimis codicibus Cathedralis Lucenſis, narratum invenio, ex quibus, tanquam ex fontibus limpidiorem veritatem haurire non gravabor. In his lego, quòd S. Frigdianus (*Sicuti priſci Catholici tradiderunt*) *ex Hybernia, Scotiæ Inſula oriundus extitit*, & quòd *relictis omnibus, Thuſciæ partes petijt, quatenùs ibi ſequeſtratus, ab omnibus pompis hujus ſęculi, eremiticam vitam duceret*, quod & præſtitiſſe, ex ſequẽtibus colligitur.

At cum ſe in Thuſciæ partes contuliſſet, fama de eo boni operis circumquaque crebreſcente, à Populo Lucanæ Civitatis eremum deſerere coactus eſt. Quinam verò eremus ille fuerit, ex quo D. Frigdianus tantam ſanctitatis famam acquiſierit, ut Lucenſes indè in Epiſcopum eligerent, non niſi in Lucenſi ditione, & propè Urbem extitiſſe, ex increbreſcente fama, & quod indè Lucenſes abſtraxerint, ſatis videtur convinci. An Mons idem eremitæ fuerit, aſſerere non auderem, aliquibus tamen conjecturis adductus accipe-

rem;

rem. Quamquam enim in altero ex antiquiſſimis jàm dictis codicibus rudi carmine Sancti vita inneniatur, atque in hac oſtendatur, Frigdianum iterum ſolitariæ vitæ ardore flagrantem, eremum cupientem, in agellum Lunatæ ſeceſſiſſe, poſtquam prodigiosè flumen à Lucenſis Urbis mœnibus divertiſſet, ſed ab ejuſdem agelli incolis, per quorum campos flumen raſtro obediens, deduxerat, verberibus impiè expulſum, ità impolitus Poeta cecinit.

Tunc placuit Sancto, Lunatis degere ſolus
Aſt heremum cupiens, Chriſto ſervire volebat.
Improba ruſticitas tabuit, dum talia cernit,
Verberat, & cædit paſtoris ſymbola fecit.
Talia ſuſtinit Preſul, remea-vit ad Vrbem &c.

Exiſtimarem enim, non ideò Sanctum Præſulem in agelli planicie prope Urbem Eremum ſibi elegiſſe, ſed ſolum ad locum illum divertiſſe, quia eremum antiquum cupiebat: ſed ex Epiſcopali injuncto munere non ità in aſpero loco habitare ſelegiſſe, ut Mons eremiticus eſt; oportebat enim clericis, plebique commiſſæ, quamvis ſolitarius degeret, obujum eſſe poſſe. Priùs tamen, & antequam in Epiſcopum eligeretur, in Montem Piſanum ſeceſſiſſe, ſolitudo, loci ſanctitas, & antiquus anachoretarum incolatus, facilè poſſunt ſvadere, quibus etiam Prior, & Canonici S. Frigdiani moti fuerint, ut ab Innocentio ſecundo, tàm ſanctum locum impetrarent, quamvis deindè, ut vidimus, nunquam pacificè poſſediſſent. Ut cumque ſit, ex Eremitica D. Frigdiani vita, facilè in Eccleſia

S. Vin-

S. Vincentij martyris ab eodem S. Pontifice extra, ſed propè Lucenſem Urbem, conſtructam, Cœnobitarum Ordo manare potuit, cujus in Balbino Abbate S. Frigdiani, ac Monacis ejus extat in Epiſcopali tabulario monumentum, anno Pertharit, & Cunipert Regum tertio decimo, & quinto indictione decima tertia, hoc eſt, anno redempti Orbis ſexcenteſimo octuageſimo quinto, & aliud anno nono ejuſdem Cunipert Regis, donec in Canonicorum Regularium inſignem Ordinem circa milleſimum annum deſineret. Jàm in meis Matildæ Comitiſſæ monumentis oſtendi, ſub Alexandro ſecundo Pontifice, Canonicum illum Ordinem Lucæ initium habuiſſe, & ſub Paſcale ſecundo tale incrementum accepiſſe, ut ad Lateranenſis Eccleſiæ excitandam diſciplinam, ex Lucenſi D. Frigdiani Baſilica Regulares Canonici Romam advocarentur. Quamquam enim in Inſtrumento ſupra adducto dotationis, & fundationis Eccleſię S. Pantaleonis in eodem monte eremitico inter cęteros ſubſcribat, cum Joanne Epiſcopo Lucenſi Gerardus Abbas S. Frigdiani, clericus, non Monacus, dicitur, ac ità ſubſcribit: ✠ *Ego Gerardus Clericus, & Abbas S. Frigdiani SS.* Ex illis S. Frigdiani monacis, & B. Corradum fuiſſe exiſtimo, qui ſiue deinceps Epiſcopus Lucenſis fuerit, ut Tuccius noſter, & Franciottus exiſtimarunt, ac ut in noſtris diptycis adnotamus, hoc certum eſt, in hædino inſtrumento, quod incendio tabularij Baſilicæ S. Frigdiani ſuperfuit, Beatum Corradum Monacum appellari, ſed ab anno ſeptingenteſimo ad octingenteſimum, in quo ſęcu-

culo,præter jàm dictum ſub Pertharito Rege Longobardorum monumentũ,antiquiora Lucenſis Eccleſiæ,quę ſervantur, ſiue diplomata, ſiue documenta, quanta fuerint in eadem Urbe, ac Diæcœſi Monachorum, tàm virorum, quàm mulierũ Cęnobiadocẽt,& ex his, quæ indicamus, & quorum ſuperſunt nomina,arguere unicuique licebit.Sancti Vitalis martyris monaſterium ptopè muros Civitatis Lucenſis ante plurimos annos à gentibus deſtructum memoratur in Inſtrumento ſub anno Caroli Regis Francorũ ſexto decimo,& Pipini ejus filij nono,indictione decima tertia, hoc eſt 790.,& anno Deſiderij Regis ſexto, & filij ejus Adelchis quarto,indictione prima, hoc eſt anno 763. Erimpertus Clericus fatetur, ab Aſtolfo Rege habuiſſe *Eccleſiam, & Monaſterium S. Petri fundatum à quondam Sumualdo, hìc propè muros hujus Civitatis*. Et quamvis Monaſteriũ utrumque ante ſeptingenteſimum annum hinc extitiſſe appareat, illud nihilominùs S. Vitalis vetuſtius fuiſſe, non dubitarim. Addã proindè certiora,partim nempe ad Monachiſmi propagationem oſtendendam, his temporibus conſtructa Aſceteria,partìm ad Cęnobiticę vitæ antiquiſſimum inſtitutum demonſtrandum, in hoc tantùm ſęculo memorata. Anno igitur Luitprandi Regis Longobardorum ſecundo,indictione decima ſecunda,Chriſti nempe 714. Fortunatus Religioſus in Eccleſia S. Petri in Vico Caſſiano à ſe fundata, dotem aſſignat, ut ſi quis ibi *Deo ſervire voluerit, & regulariter vivere, ipſe fruatur in honore Domini, & ſi Abbas de hac luce migratus fuerit, & dormierit, cum*

fratribus ſuis, quem Monachi ipſi eligerent de eo Monaſterio, ipſos ibi habeant Abbas ordinatus &c. Actum in Civitate Lucenſi. Anno deindè ejuſdem Regis octavo, indictione tertia, hoc eſt anno 720. Teutraldus aſſignat dotem Eccleſię S. Sylveſtri Confeſſoris a ſe conſtructæ, foras Civitatem Lucenſe m. ad Portam S. Petri, cum Xenodochio, & Balneo, ad usũ Abbatis, & Monachorum. Eodem anno, Regno, & indictione Aurifridus elargitur bona quædam Eccleſiæ S. Laurentij, & S. Valeriani in Vacculo, & concedit, ut poſt obitum ſuum in ſua Cella aduivere poſſint Ancillæ Dei, & etiam aliæ ex ſororibus, & nepotibus, ſi Dominus advocaverit ad velamen; & ſequenti ejuſdem Regnantis anno indictione quarta, Pertualdus, poſt quam limina Apoſtolorum inviſit, aſſignat Bona Eccleſiæ S. Angeli Michaelis, à ſe conſtructæ in finibus Foſſato, ut indè Abbas, & Monachi ejuſdem Eccleſiæ, hortum, & pigmentarium habere debeant, & ad hoſpitium pauperum, & orfanorum. Actum Lucæ. Eodem anno Aurinaudus, cum Gaifredo germano ſuo conſtruxerat Oraculum S. Petri Apoſtoli in loco Caſtellione, & reſervavit ſibi, & filijs jus Deo ſerviendi in ipſo Monaſterio, deinceps Abbati, qui ibi ordinatus fuerit. Actum Lucæ; & poſt biennium Vrſus ex merito devotionis conſtruxit, & dotavit prope Urbem Lucam Eccleſiam Sanctæ Dei Genetricis Mariæ, ubi Urſam filiam Abbatiſſam una cum germana ſua Amſteruda, religioſã, & Monaſticam vitam agente, quæ Amſteruda poſt mortem germanę ſuæ curam Monaſterij ſuſcipiat. Anno 725.

13.

13. Luitprandi, indictione 8. memoratur Monaſterium S. Petri, Sancti Martini, & Sancti Quirici in Capannule; Actum Lucæ. & anno 738. Luitprandi, & Helprandi Regum, Regni eorum 27., & indictione ſeptima Monaſterium S. Georgij in Noctano; & eodem anno Urſa Abbatiſſa Eccleſiæ Sanctæ Mariæ emit in Caſiſo; ſed regnante Aiſtolfo Rege, anno ſecundo, indictione quarta, nimirùm 751. Monaſterium S. Agathæ in Civitate Lucenſi fundatum eſt, ut vivatur in Congregatione, *& nulla fœmina in clauſura poſſit ingredi.* Et ejuſdem anno tertio, indictione quinta, Altiperga religioſa Dei ancilla reliquit omnia Bona ſua Monaſterio S. Salvatoris de Octabo; ſed jàm regnãte Deſiderio Rege anno tertio, & Adelchis filij primo Gregorius filius Mauricij conſtruxit Eccleſiam S. Donati in loco Aſulari, & omnibus ſuis bonis locupletavit, ut nulla fęmina ibi habitare debeat, & ſervus ſuus curtè tonſus, ſi introire voluerit in dictum Monaſterium, poſſit. Actũ Lucæ. Eodem, vel ſequenti anno fundatur Eccleſia Sãcti Michaelis Arcangeli in Colonia prope Villã Baſilicam cum Monaſterio. Memoratur item Abbas Monaſterij Sancti Petri de Campo majore anno Deſiderij quarto, & Adelchis ſecundo, indictione decima quarta, & eorumdem anno ſexto, & quarto, indictione prima 763. Monaſterium S. Petri Sumualdi in Civitate Luca, in qua Eccleſiam S. Mariæ ſemper Virginis à Peredeo ſacratam dicitur. Monaſterium ſub poteſtate Rettrudæ Dei ancillæ anno Deſiderij ſeptimo, & Adelchis quinto, indictione ſecunda 764;

quo pariter anno conſtructa Eccleſia S. Martini in Urſiano bonis augetur pro filijs, & nepotibus fundatoris, qui *tonſo capite, caſtè, & recto moderamine Deo ſervire ad ipſam Eccleſiam voluerit*: & poſt bienniũ anno Deſiderij, & Adelchis nono, & ſeptimo, hoc eſt 766. Regnolfus Abbas S. Marię, & S. Donati confeſſoris, eidem Eccleſię omnia ſua bona largitur. Jàm verò fugato Deſiderio Rege, & Carolo Rege Francorum regnante in Italia anno quarto, indictione prima, nimirùm 788. *Monaſterium B. Reguli martyris Chriſti, ubi corpus ejus requieſcit*, locupletari, apparet ex Inſtrumento; *Actum ad ipſam Dei Eccleſiam S. Reguli in Uvaldo, territorio Lucenſe*: & octavo ejuſdem Caroli anno, quo ſocium Regni Pipinum aſcivit, indictione quarta, 782. memoratur conſtructio, & dotatio Monaſterij S. Mariæ, Sancti Michaelis Archangeli, & S. Petri in Brancalo. Eodem anno Monaſterium S. Dalmatij in Civitate Lucenſi traditur Adeltrudæ Dei ancillæ. Sequenti verò, qui fuit decimus Caroli, ac Pipini tertius, 783. in eadem Urbe Lucenſi Eccleſia S. Petri, & S. Gregorij conſtruitur, & bonis augetur pro Abbatiſſa, & Monaſterio puellarum, anno quinto 784. Monaſterium S. Caſſiani in Turingo, & anno decimo ſecundo Caroli, & Pipini quinto, indictione nona, hoc eſt 786. Auriperrus Abbas Monaſterij S. Quirici in Rota ordinat in ipſo Monaſterio poſt ſe Abbatem Autchis nepotem ſuum. Eodem anno Epiſcopatui Lucenſi additur jus Monaſterij S. Michaelis Archangeli, ſiti prope muros illius Civitatis, & propè mœnia ejuſdem Urbis. Eodem

quo-

quoque anno memoratur Monaſterium S. Angeli in Sora' ge, quod, an idem ſit, ignoro. Anno deinde 790. Monaſterium S. Jacobi, & Philippi prope Urbem à ſacobo Archidiacono conſtructum pro Congregatione ancillarũ, ſeu Monacarum, quæ ſub regimine, & regula Abbatiſſæ vivere debeant, & anno, ſcilicet Caroli 16., & Pipini 9. indictione decima tertia, & poſt biennium indictione decima quinta, anno 18. Caroli, & Pipini 12., 792. Abbatiſſa S. Mariæ, & S. Romani, actum Lucæ, de quibuſdam Bonis dictæ Eccleſiæ diſponit. Duplex autem circa hæc tempora Monaſterium S. Romani invenio; Alterum nempe, quod majus nuncupatur, & quod in notitia Monaſteriorum in Civitate Luca, & extra in hędino monumento hujus ſęculi, dicitur cum ſequentibus pertinere ad S. Petrum de Roma, Monaſterium ſcilicet Sancti Petri, quod dicitur Belberiſonſi, Monaſterium S. Mariæ, quod eſt ſub poteſtate S. Romani, Monaſterium S. Geminiani ſub eadem poteſtate. Aliud Monaſterium S. Petri pariter, ſub S. Romano, ad quod etiam pertinere dicuntur Monaſterium S. Pauli, Monaſterium S. Gineſij, & aliud Sancti Petri. Sequenti anno Caroli 19., & Pipini duodecimo indictione prima 793. in Teſtamento Soximundi Diaconi ſequentia Monaſteria memorantur; Monaſterium S. Petri in Vico Bondualdi; Monaſterium S. Mariæ in gurgite, Monaſterium S. Andreæ in Blentina, Monaſterium S. Petronillæ in Guſtojola. Monaſterium S. Quirici in Lateraria, & plura complectar, quæ, hinc ad annum 800., vel

cir-

circa, memorari invenio; Monaſterium de ſexto, S. Salvatoris in Motione, S. Benedicti, & Scholaſticæ, Monaſterium S. Luciæ, utrumque Monacharum Lucæ, S. Andreæ; S. Martini de Lunata, S. Pauli de Villa, S. Gregorij de Piſcia. Reliqua, quę deinceps in tabulario Epiſcopali recenſentur, ne faſtidio lectoribus ſim, conſultò præterire decrevi, contentus, hæc antiquiora indicaſſe, plura etiam in Diœcæſi, & Civitate Lucenſi in his duobus ſęculis extitiſſe non dubito, ſicuti plura deinceps ad noſtra uſque tempora. Quanta hinc Monachorum, & Anachoretarũ feracitas fuerit, elicere poteſt diſcretus lector. Eremitarum nunc proventum adnotabo, & præcipuè circa Piſanum montem, undè reliquas eremiticas ædes fluxiſſe, probabile admodum eſt, recenſere feſtinabo. Jàm ex inſcriptione ſepulcri D. Antonij antiquioris, ex eremitico monte ad Sanctorum Lucenſem cellulam translata Sanctorũ Eremitarum corpora apparet, ſiue hi martyres fuerint, ſiue Confeſſores; equidem ſilente perſecutione, etiam poſt Julianum, poſtremò D. Auguſtinum in monte Piſano ad Anachoretas aliquando divertiſſe ſupra innvimus, & antiquam hujus rei traditionem extare, teſtem habemus ſummum virum Franciſcum Petrarcam, de vita ſolitaria lib. 2. cap. 5. *Atque inter cætera Piſani montis ocio delectatus, & illic Eremitico habitu traxiſſe moras creditur, & ad loci illius Eremitas liber ſuo quidem præſcriptus eſt nomine*. Quidquid autem ſit de ſermonibus ſub Auguſtini nomine ad Fratres in eremo, ſiue adulterini ſint, ſive ad eremitas Hipponenſes ſcripti, de

nm-

mora in Piſano monte, teſtes ſunt, Breviarium Bracharenſe in feſto D. Auguſtini lect. 5., & 6. D. Antoninus, & alij plures, quos cumulat Ioannes Marquez de Fratrum Eremitanorum origine. Vitam enim monaſticam D. Auguſtinum in Italia duxiſſe, ex Poſſidio in ejus vita apertè deducitur, dùm ex Italia ad ſuos redeuntem, Monaſticos ritus advexiſſe fatetur, & ad montes aliquandò tranſfretaſſe, deſignatum apud Licentium ejuſdem Sancti Doctoris diſcipulum, & Italici itineris ſocium habemus. Is in Carminibus epiſtola 39. ita ad præceptorem, dùm iterùm ſecum eſſe anhelat.

O mihi tranſactos revocet ſi priſtina ſoles
Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
Ocia tentantes, & candida jura bonorum
Duximus Italiæ medio, monteſque per altos.

Sicuti enim libera ocia ſolitariam vitam innuere videntur, & candida jura bonorum, Monachorum regulas, ita Italiæ medium Thuſciam deſignare, monteſque per altos, Piſanum, ſine Eremiticum montem quodammodò demonſtrare non videtur abſurdum. Ex monumentis autem Eremitici Ordinis, moram Divi Auguſtini in Piſano monte non ignoravit etiam D. Antoninus, qui parte tertia tit. 24. cap. 14. §. 2. ita inquit. *Et cum eſſet in itinere, revertens in Africam, viſitavit Eremitas, qui erant in monte Piſano, aliquibus diebus cum eis moram trahens, & alios eremitas, qui erant in Centumcellis propè Romam &c.* Quo verò tempore D. Auguſtinus in monte Piſano fuerit, inquirere non eſt fa-

facile. Joannes Marquez putat, D. Auguſtinum fuiſſe in loco, qui dicebatur ſilvalivallia, nunc *rupe cava, ſeu vulgo lupocauo*, dùm ex Italia in Africam rediret. Baronius tamen, qui moram D. *A*uguſtini in Thuſcia ſilentio inuoluit, ſentire videtur, *A*nno 388. poſt Baptismum haud diu Mediolani Sanctum Doctorem manſiſſe, ſed una cum Sancta Matre, *A*deodato filio, *A*lipio, atque Euodio reverſurum in *A*fricam, Romam ſe contuliſſe, ubi uſque ad ſequentis anni tempus navigationi acemodatum, totum hoc ſpatium egerit, plura conſcribens, de quibns lib. 1. retract. c. 7. 8. 9. apertè agit. *A*t quamquam Romę novum Chriſti *A*thletam aliquo tempore poſt Baptiſmum fuiſſe, non ſit negandum, longiùs tamen ibidem manſiſſe, ac diutiùs hyemaſſe, & recta inde ad Oſtia Tyberina, ubi Sancta eius mater obijt, ut traijceret in *A*fricam, proceſſiſſe, videtur cum his pugnare, quę de Sanctę Monicę obitu idem *A*uguſtinus habet lib. 9 Conf. cap. 10. dum enim de colloquio ante mortem, cum Sancta Genitrice habito, loquitur, hęc habet. *Illic ad Oſtia Tyberina, ubi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem, inſtaurabamus nos nauigationi, colloquebamur &c.* Quis enim viam Roma ad Oſtia Tyberina longi itineris labores vocaret? & quis Romanam per totum hyemem quietam ſtationem opus habere diceret reſtauratione virium ad navigationem? *A*liud longius iter, quàm è Romana Vrbe illic videtur adumbrari, quale revera eſſet Mediolano per marittima loca Thuſcię ad Centnm cellas, & Oſtia Tyberina. Si quis verò

a li-

aliquam in Thuſcię eremiticis ędibus moram traxiſſe Auguſtinum putaſſet eo biennij, & aliquorum menſium ſpacio, quo Cathecumenus ante Baptiſmum, Chriſtianę veritatis, & optimę vitę inſtituta meditabatur, non repugnarem, quinimò, & coniecturas adderem. Non me latet in Villa amici Verecundi, quę Caſſiacus dicebatur, per aliquod tempus manſiſſe, & inde Mediolanum, ut nomen ſuum Eccleſię daret, ac baptiſmum ſuſciperet, redijſſe, ſed integro ibi biennio commoratum fuiſſe non apparet, quinimò in eodem 8. libro Confeſſionum, ubi ab eodem illud tempus adnotatur, & Evodij conuerſionem habemus, qui relicta militia ſęculari, accinctus in militia Domini, cum Auguſtino convixit, videtur colligi, plures locos ad vitam communem in Dei ſeruitio pręſtando accomodatos quęſiviſſe: inquit enim: *Simul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto*. Deinde, quod mutationem loci oſtendit. *Quęrebamus, quis nam locus nos utiliùs haberet ſeruientes tibi*, atque hoc comite Thuſciã ſaltem poſt Baptiſmum peragraſſe, indubiè elicì ex ſequentibus poteſt. *Pariter remeabamus in Africam, & cum apud Oſtia Tyberina eſſemus, mater defuncta eſt*; per maritima enim Thuſcię Oſtiam, viam per Lucenſem, & Piſanam ditionem nemo negare poteſt. Nec eſt, quòd expreſsè hìc aliquis vellet in Piſano monte Auguſtini diuerſionem: nam cum Deo loquens Auguſtinus, qui omnia ſciverat, ait; *multa prętereo, quia multum feſtino*. Duo autem loca poſſunt hìc in Agro, *& dięcęſi vel Piſana vel Lucenſi adduci*, in quibus Eccleſię lumen Auguſtinus

ſtinus Eremitarum converſatione in ocio Piſani montis frui per aliquod tempus potuerit. Vnus iam apud ſcriptores legitur, & nos ſupra ex Marquezio adduximus, hoc eſt, quod nunc Monaſterium de Rupe Cava, vulgo *Lupo Cauo* nominatur, *in Lucana Diœceſi*, non longe ab Vrbe Lucenſi, in monte, quà Lucam reſpicit, poſitum. Alter propè D. Antonij ſacrã ędẽ in monte eremitico. In illo traditur, D. Auguſtinum aliquando moram traxiſſe, & eius Aſceterij ſub eiuſdem ſancti regula militantes fratres id conſtanter tenent; Quinimo Guilielmus Caualcantinus, qui vitam Sancti Guilielmi Ducis Aquitaniæ ſcripſit Piſis noſtro ſœculo editam, ex antiquis monumentis Abatię Sancti Guilielmi narrat, redeuntem ex Compoſtellana peregrinatione Guilielmum, dũ in Thuſcia per agrum Piſanum iter ageret, in quandam horridam ſyluam ingreſſum, quæ Livallia dicebatur, & in qua antiquæ ædis rudera invenit: hanc in uſum parvi Xenodochij reſtauratam, collecta ſtipe, & pauperibus circumvicinis accurrentibus, non longo temporis intervallo, pij plures viri ad exempla Guilielmi elegerunt, ibi piè, ac religiosè viventes. Aderat Petrus quidam, cui hoſpitalis cura incumbebat, poſtea Prior Montis Pruni, à quo *Sanctus* Anachoreta didicit parietinas antiquæ ędis dudũ Auguſtinũ Eccleſiæ Doctorem incoluiſſe, & hinc Guilielmum habitũ Eremiticæ religionis aſſumpſiſſe ędes ampliaſſe, ac inhabitaſſe, donec refrigeſcente ſociorũ pietate in Galliã ſeceſſerit. At de D. Guilielmi mora in Eremitorio Livalliæ, ſeu Lupi Ca-

vi, deque horribili ibidem, quam inhabitavit, ſpelunca, de conſtructione Xenodochij, ſociorum congregatione, atque eorundem poſtea pręuaricatione pluribus agit Theobaldus Epiſcopus ex Sancto diſcipulo Alberto in vita Sancti Guilielmi apud Surium cap. 18., qui de eiuſdem reditu à cellula montis Pruni ad ſylvam Livalliam, & de novis ibidem à Dei famulo paſſis persecutionibus latè agit cap. 21., nullibi tamen antiquus hic autor de D. Auguſtini in eodem loco præſentia, aut incolatu verba inſerit: & cum fateatur, ſe vitam D. Guilielmi ſcribere in gratiam Provincialis, & Fratrum eiuſdem Ordinis, non videtur dubitandum de mora D. Auguſtini in eodem loco Livalliæ verba facturum, ſi noſſet. At aliunde conſtet, ſive brevior, ſive diuturnior in ſylua Liualliæ mora, & Theobaldus prętierierit; hoc certum eſt, traditionem antiquam à temporibus uſque Franciſci Petrarcæ non eſſe, quòd Auguſtinus in Sylva Livalliæ ſolitariam vitam peregerit, ſed in Piſano monte. Non negarem adhuc rupæ Cavæ, ſeu Lupi cavi, ſive Livalliæ Aſceterium in aſpero monte ſitum, eumdemque in Piſana modò ditione, ac Diœcęſi Lucenſi poſitum eſſe, ſed hunc eſſe Piſanum montem ita propriè in antiquis monumentis nuncupatum, & in quo primi Eremitæ monaſticæ vitæ ſemina jecerint, omninò reſpuerem. Primùm igitur aſſero eũdem antiquitùs montem fuiſſe Piſanum cum eo, qui nunc Sancti Juliani dicitur ad cujus extremas radices via eſt, quæ Luca Piſas ducit, & adhuc Parietinæ ibi ſunt Eccleſiæ illius, quæ S.

Juliani ab antiquiſſimo tempore dicebatur. Hujus pars meridiem, Piſanamque ditionem reſpicit, ac à Lucenſi dividit, & ex hac parte ſalubria, ac famoſa Piſana Balnea adhuc exiſtunt. Pars alia, quæ Boream proſpicit, in Lucenſi comitatu recenſetur, & mons Piſanus, ac Eremiticus æquè dicitur; Balneorum eorumdem Piſanorum ſcriptores me falli non ſinent, qui eadem ad pedem montis Piſani conſtituunt &c. ſed D. Antoninus, qui ſui temporis texit hiſtoriam, & primos Belli Piſani à Florentinis ſuſcepti auſus recenſet Par. 3. Tit. 22. cap. 4. §. 3. Bertoldum Savonæ Comitem, primùm Balnea Piſani montis per vim capta diruiſſe, deinde Vicum Piſanum oppugnaſſe, ne de his Balneis eum loqui dubium ſit: Et quem ſupra vidimus montem Eremiticum, ſeu Eremitæ, & S. Pantaleonis, eumdem Piſanum Montem, ac Sancti Juliani fuiſſe, ſequentia docebunt. Extat in Lucenſis Epiſcopij tabulario inſtrumentum anno Caroli Regis Francorum, quo Longobardiam cœpit, trigeſimo octavo, Indictione quincta, octavo Cal. Martij, in quo Luchiprandus Presbyter aliqua bona aſſignat *Eccleſiæ Sancti Juliani in Monte Piſano*, & aliud, in quo, anno Ludovici Magni Imperatoris 25., & Lotarij 16. 14. Cal. Martij, indictione prima in emphytheuſim bona quædam traduntur à Rectore *Eccleſiæ Sancti Juliani in Monte Piſano*, anno 1026. 4. Cal. Martij indict. 9. Ugo Comes filius Teudici comitis donat Epiſcopatui Lucenſi tertiam portionem Caſtri Putioſturli cũ Eccleſia S. Petri, & inſtrumentum donationis eſt *Actum*

in

in Monte Piſano propè Eccleſiam S. Juliani. Eccleſia quoque S. Juliani in Monte Piſano aquarū inpetu collapſa à Lucenſibus ęre publico reſtituitur 1385., ut ex lib. publicis. At Montem, in quo D. Antoninus Eremiticam vitam ducebat, in Lucenſi ditione fuiſſe, habet Anonimus, & antiquus ſcriptor vitę ejuſdem Sancti Eremitæ, dùm ait; *Cumque hujuſcemodi Vitam ſuam eligendo, hujus ſpinoſa gaudia mundi contemnens, in territorio Lucano ſtadiorum quinque ſpatio ab Urbe diſtante, in Monte prænominato Piſano, cellulam ſuam, & Eccleſiam ædificavit in Chriſti obſequijs valituram. Quæ utique Eccleſia, & locus uſque modo B. Antonij ſingulari nomine nuncupatur.* Jàm verò ſupra adnotavimus, cellulam, ſacramque ędem D. Antonij parùm abfuiſſe ab Eccleſia D. Pantaleonis in Monte Eremitico nuncupato, & adhuc & nomina, & rudera extare. Ad hanc ſacram, ſolitariamque ſedem, ſub Anachoretæ Antonij nomine tunc celebriorem, D. Auguſtinum potiùs divertiſſe, quàm ad Livalliæ Sylvam, ſicuti rationi magis videtur congruum, ità cum traditione apud celeberrimum ſcriptorem Petrarcam magis etiam conſonat; quia prorſus cum nomine Piſani Montis convenit. Non tamen negarem, etiam apud Livalliæ Eremitorium, ſi tunc extabat, moram trahere potuiſſe. Incertum equidem magis eſſet, an loci Sanctitas Seraphicum Franciſcum aliquando ad ſe traxiſſet, dùm B. Henricus de Urimaria, qui floruit circa annum 1334. apud Marquezium, aſſerit, B. Franciſcum cum fratribus eremitis aliquando habitaſſe, immò, aliquos tradere, fratrem Ordi-

dinis Eremitici fuiſſe in loco Sancti Jacobi de Aqua viva juxta Piſas. Magis probabile eſſe crederem, B. Joannem, dictum de Spelunca, primum Eremitarum Generalem, ac alterum pariter Joannem dictum de Cella, qui à Marquezio pariter Beatus dicitur, ex illo Eremitarum cœtu fuiſſe, qui ex D. Antonij Eremitico Monte, in proximiores pagos fluxerunt. Quamquam enim de eorumdem patria, ac incolatu nil apud eumdem B. Henricum ſcriptum legatur, cum tamen Eremitarum Ordinem ex Lucenſi ditione ortum duxiſſe, ſupra, & ex infradicendis appareat, & circa eadem tempora, quibus Venerabiles viri illi floruerunt, inter plures Eremitarum ædes, quę Lucenſem oram ſacris Anachoretis ditabant, locum, ſeu Eremum de ſpelunca, & locum, ſeu Eremitorium de Cella, veluti famoſiora enumerari inveniam, jure Lucenſis ditionis, vel indigenas, vel incolas, Beatos, ſeu Venerabiles illos Eremitas fuiſſe, ſuſpicari licet. Verba ejuſdem B. Henrici de Urimaria, ſeu de Alemania, hìc trasferre libet ex manu exarato tractatu de Origine Religionis Eremitanæ in Bibliotheca Sancti Victoris Pariſienſis. *Ex ſcriptis antiquis*, inquit, *& antiquis Patribus hæc habere potui. Circa Annum Domini* 1110. *electus eſt Generalis B. Joannes de Spelunca, qui etiam præfuit tempore Alexandri Tapæ Tertij. Item Joannes dictus de Cella, tempore Innocentij Tertij.* Utrumque autem aſceterium, ſeu Eremum de Spelunca, & de Cella, frequentiùs in antiquis monumentis memoratum, inveniet is, quem Eremitarum Sancti Auguſtini Lucenſis Carto-

tophilacium rimari non pigebit. Primum invenio non longè ab Eremitico Sancti Pantaleonis, ſeu Piſano Monte fuiſſe poſitum, & plurium notariorum hædinis authographis ſignatum ab anno 1198. 1202. 1204., & deinceps ultra annum 1300. Dicitur autem Eremitorium de Spelunca, ſeu Sancti Georgij de Spelunca in Mothicone, ſeu Maſſa Piſana ad Sanctam Mariam de Judice, ſub cujus Plebis regimine nunc etiam Eccleſia Sancti Pantaleonis in Monte eremitico, ſeu Piſano numeratur, in hoc, tempore Innocentij Tertij ex ijſdem hædinis monumentis, tanquam in loco apto ad ſerviendum Deo, & contemplationi, eremiticam vitam duxiſſe cum Presbytero quatuor alios fratres invenio, quinimò Guidonem Epiſcopũ Lucenſem, quamvis infirmum anno 1198. mandaſſe Caroni Lucenſi Archipresbytero, ut de eadem Eccleſia Sancti Georgij de Maſſa, ubi dicitur Mothicone, ſive Spelunca, inveſtiat Magnificum Joannem Petri de Luca, hoc ordine, ut dictæ Eccleſiæ adminiſtratio daretur Presbytero Dulci, & fratribus ejuſdem in eodem loco eremitis. Secundum eremitorium, quod de Cella nuncupabatur, ſive Sancti Jacobi de Cella, & Cella piæ memoriæ Presbyteri Ruſtici, ab anno 1202. 1208. ad annum uſq; 1368. quo Eremitanis Fratribus Sancti Auguſtini de Luca unitum fuit, in Colledonico propè Caſtrum Paſſarinum, ſeu ad Cocombola, poſitum fuiſſe animadverto, & circa annum Domini 1216. in eodem loco fuiſſe Priorem, & Capitulum Eremitarum, & de anno 1211. jàm

ibi

ibi ſub Rectore plures eremitas fuiſſe, qui eremitæ de Cella dicerentur. Ab his eremiticis ædibus de Spelunca, & de Cella, in Diœceſi, & ditione Lucenſi poſitis, & à pluribus eremitis circa eadem tempora inhabitatis, Venerabiles viros B. Joannem primùm eremitarum generalem Rectorem, & alterum B. Joannem, quorum ſupra meminimus, denominationem ſumpſiſſe, non videtur incongruum. At certiſſimum eſt in eadem ditione, & Diœceſi ab anno præſertim milleſimo ducenteſimo ad milleſimũ tercenteſimum, & ultra, plures ſacras ædes fuiſſe, in quibus eremitica vita duceretur, & quæ ab Anachoreta antiquiſſimo Antonio, Lucenſi Presbytero ortum facillimè ducere potuerint, ut aliquæ etiam in Piſana nunc proxima ditione, nempe eremitorium Sanctæ Mariæ de Lupo Cavo, aliud de Aſſeonda, & de Aqua viva. Sed libet per tranſcurſum præter bina de Spelunca, & de Cella, quorum ſupra mentionem injecimus, alia numerare in Lucenſi, ſive Diœceſi, ſive ditione, quæ in antiquis monumentis non data opera perluſtratis, ſub eremitorij nomine nanciſci licuit. Tale eſt eremitorium Pontis de Chifenti, ſeu Sancti Franciſci de Ventoſo, cujus monumenta extant de anno 1247. 1251., & 1254. eremitorium in Alpibus Loppelliæ de anno 1238. Aliud in Junceto de anno 1319. eremitorium Sancti Columbani de Luca, ſeu propè Lucam de anno 1255. 1267. uſque ad annum 1318., quando ejuſdem Eremitas in locum novum Eremitarum Sancti Auguſtini de Luca tranſijſſe convincitur.

In

In hoc olim, & circa annum Domini 1250. creditur Beati Geſi Saminiatenſis Corpus quieviſſe, quod poſtea in Eccleſiâ Sancti Auguſtini Lucenſis translatum in Arca lignea ſupra Aram D. Hieronymi colebatur, cum antiqua ſub eremitano habitu Icone; In qua Angeli beatum jacentem adorant, & thurificant, his adiunctis carminibus.

Hoc Eremitarum tumulo pie condite Geſi,
Samminiatenſis Chriſte Beate fidelis
Protege prece tua Lucanos, ac Patriotas.

1367. locus eremiticus de Caprile territorij Pozzuoli, qui dicitur Eremitorium Sanctæ Mariæ de Pozzuolo, eremitorium Sanctæ Mariæ de Brancalo, ſeu de Romito, tempore Honorij Tertij anno primo, & anno 1282., & 1290., ad 1368., & deinceps. Eremitorium Sancti Jacobi de Morilione, ut habetur in monumento de anno 1267., & ab anno 1244. aliud paritèr ſub invocatione Sanctæ Mariæ de Moriglione Communis Vurni de anno 1350. Eremitorium Sancti Michaelis de Buti in Provincia Garfagnanæ ſub Plebe Burgi Mozzani, ab anno 1282. ad 1364 eremitorium de Valle bona, ſeu Sancti Galgani de Garfagnana in Vicaria Coreliæ ab anno 1243. ad 1334. eremitorium de Valle bona Verſiliæ Sanctæ Mariæ de Valle Caſtelli ab anno 1249. ad 1314. eremitorium Sanctę Mariæ de Monte Forti in Diœceſi Lucana anno 1282., & eremitorium Sanctæ Margaritæ de Monte Claro, ſeu de Vivinaria anno 1343. In his primùm Presbyteros cum ſocijs, ac fratribus Eremitis ad exemlpum D. Antonij Preſ-

byteri ſolitariam vitam duxiſſe animadverto, & eorumdem locorum incolas deinceps in Eremitanos fratres ſenſim tranſiſſe, non dubito; hinc apertiſſimè Monaſticum, ſeu preſſiùs eremiticum Ordinem originem cœpiſſe, & non tantùm per Italiam, ſed forſan in univerſam Dei Eccleſiam vulgatum eſſe, quæ adduximus, ſuadere videntur.

Ex erectis primò Eccleſijs, primò etiam ſuſceptæ apud Piſanos, & Lucenſes Hetruſcæ Chriſtianitatis Indicia recenſentur, & de earumdem Eccleſiarum titulis obiecta refelluntur.

CAP. X.

VULGATÆ non minùs, quàm retentæ apud Thuſcos fidei, non aliundè ſolidiora elicere poſſe argumenta ſperavi, quàm ex Eccleſijs eodem tempore in honorē Chriſti, vel Sanctorū ejus extructis. Parum equidē videretur, promulgatū alicubi ab Apoſtolicis viris Evangelium memorari, niſi tunc aliquod diſſeminatæ, ac ſuſceptæ novæ legis relictum ſtabile agnoſceremus indicium. Vix Hieroſolymis prædicare cœperunt Apoſtoli, cum in Eccleſiam Cœnaculum illud conſecrarunt, in quo Sanctū Spiritum acceperunt, ut D. Cyrillus in Catecheſi teſtis eſt. Vix fundata Antiochena ſede, domum Theophili, uſui

uſui Chriſtianorum emancipatam, in Eccleſiam à Petro commutatam, ex Clementis recognitionibus, quamvis apocriphis, educit Baronius. Jàm converſos à ſe Chorinthios Eccleſiam à domibus ſejunctam habuiſſe, ex Epiſtola D. Pauli apertè dignoſcimus, & ut quam plurimas, ab alijs Sanctis, & Apoſtolicis viris, paſim à ſuſcepta prædicatione fundatas prætereamus, ſufficiat adnotare Petrum Apoſtolum, ubi primùm Romæ ſedem fixit, ac filios ex Baptiſmo peperit, in Monte Viminali domum Pudentis Senatoris in Dominicam Ædem conſecraſſe, quemadmodum Pius PP. Primus ſcriptum reliquit: & de prima Romæ à Petro conſecrata Eccleſia meminit Beda. Quod cum fruſtra, & ad Gentilium potiùs ludibrium factum dici poſſet, niſi numerus aliquis fidelium in communibus templis convenire debuiſſet, non modò erectiones Eccleſiarum, jàm Apoſtolico ævo in uſu fuiſſe convincunt, ſed etiam indubij ſuſceptæ fidei teſtes fuiſſe apparent. At diligentiùs mihi perquirenti Sanctorum monumenta, & acta, qui primi in Hetruriam Chriſti fidem intulerint, neque Volaterris, neque Feſulis, neque Piſis, neque Florentiæ, à Romulo, Creſcentio, Dulciſſimo, Frontone, Paulino, ac Torpete, neque alibi ab alio Apoſtolico Viro erectam materialem Eccleſiam invenio; Lucæ tamen non unam, ſed plures fundatas lego. Jàm latè ſupra oſtendimus, non minimùm eſſe Piſanæ nationis decus, quod in eorum agro Petrus Apoſtolus primùm altare lapideum erexerit, ac ibidem Deo incruentum ſacrifi-

cium obtulerit. At ſive id in primo ejus ad Italos itinere acciderit, ut nonnulli non ſatis validis coniecturis innixi opinantur, ſive alio per Italiam, ſive in Italiam reditu, ut firmioribus rationibus eodem loco adductis exiſtimavi; clarum eſt, non fidelibus Urbem Piſanam incolentibus aram illam à Petro erigi potuiſſe, cum ad Torpetis uſque conſummatum agonem nullus ibi Chriſti fidelis eſſet, & Piſanus ille Prothomartyr, aut eodē anno, quo Petrus palmā Romæ accepit, aut poſtea paſſus omninò fuit, ſed vel naufragum Petrum aram illam ſtatuiſſe, ut recentiores Piſani Hiſtorici addunt, ad grates ſolemniter Deo reddendas cum ſocijs itineris, non foret incongruum, ſicut in pluribus quoque Neapolitani Regni locis, non dùm Orbi Chriſtiana fide vulgata accidiſſe notat Caracciolus, vel fortè in peragratione Italiæ, vel aliundè reverſione aram illam conſtruxiſſe ad fidelium Lucenſium occurſum per Auſerem ad Gradum, ubi cum Arno confluebat, Lucenſium inquam, cum Piſanorum nullus niſi poſt mortem Torpetis Chriſtianę fidei aſſecla numeraretur. Equidē Apoſtolorum Principem naſcentes, & per diſcipulos ſuos nuper partas Eccleſias per Italiam inviſiſſe, communis ferè tenet doctiorum conſenſus; apertiùs Caracciolus, & Roma Mediolanum profectum expreſsè docet Metaprhaſtes. Jàm apud Lucenſes promulgata fide, Paulinum aliquando diſcipulum videndi, & alloquendi opportunitatem cœpiſſe veriſimile eſt, ſive in opportuniſſimo ad Inſubres itinere Lucam pertranſierit, ſive eidem Petro ad Gradum Arnien-

enſem in littore Piſano Paulinus cum fidelibus occurrerit, ut Romam Paulo venienti Chriſtianos obviam fuiſſe tradunt Apoſtolorum Acta. An verò ſimul cum Ara Petrus Eccleſiam, quæ poſtea Sancti Petri ad Gradus dicta fuit, erexerit, dubitandi anſam præbet Piſanus Chronologus ab Ughellio editus. Is, ut ſupra animadvertimus, poſtquam ex Ugonis Archiepiſcopi Nicoſienſismonumentis, lapidei Altaris ab eodem Petro conſtructionem retulit, non indicato authore, hiſtoriam ex Iſidoro Hiſpalenſi de D. Petro admiſcuit, & non Aram, ſed Eccleſiam ab eodem conſtructam, dùm in Arni Gradu moraretur, his verbis addit. *In quo loco cum per menſes moram feciſſet, ad Gradus maris Eccleſiam conſtruxit, quæ poſtea in ejus nomine à Clemente ipſo eſt dedicata.* At præterquam quòd Chronologus recentior eſt, ut monuimus, quàm fragmentum editum præferat, & mala fide Iſidori Hiſpalenſis verbis, ſua de Apoſtoli adventu Piſas interſuit, ab antiquiori Ugonis monumento diſſentit in hoc, quòd non Aram, ſed Eccleſiam ibi à Petro ædificatam narrat, & à Clemente eidem Petro dedicatam addit, quam tantùm, & univerſim poſtea à Clemente conſecratam, primum monumentum referat. Imò & inconveniens videtur, Eccleſiam ab Apoſtolorum Principe ædificatam ab alio ejuſdem ſucceſſore poſtea conſecratam, præſertim, ſi ibidem, extructa Ara, jàm Miſſam Petrus celebraſſet; ſed de Chronologorum conſenſu, quòd Eccleſia non à Petro, ſed poſtea à fidelibus Piſanis ædificata fuerit, audiamus Roncionium

um ità materna lingua loquentem; *Che il Santo Tontefice edificaſſe queſt' Altare, è coſa chiariſſima, e fù l' Anno 44. di noſtra ſalute, ſi come teſtificano F. Lorenzo Tajoli, F. Bartolomeo Spina, e Bernardo Marangone, diligentiſſimi Scrittori delle coſe Piſane: e quanti Annali ſono in queſta Città, i quali tutti concordano inſieme, che Pietro vi veniſſe, & edificaſſe quell' Altare, e raccontano di più coſtoro, che egli fù cagione, che i Piſani dopoi vi edificaſſero il Tompio, che al preſente ſi vede, il quale doppo la ſua morte fù conſecrato miracoloſamente da Papa Clemente Primo &c.*
At ſicuti de tempore corrigendi ſunt Chronologi, & adventus Petri in Agrum Piſanũ reijciendus eſt in annum 51., ut Conſtantinus Gajetanus adnotavit, ita de Ara dubitandum non eſt, quòd à Petro, non à Clemente conſecrata ſit, cum ſuper eam jàm Miſsã celebraſſet Petrus, ſed Eccleſia à Piſanis fidelibus deinde conſtructa fuerit; quod prodigiosè factum extat apud Bartholomæum Spinam. Rationi autem conſonum eſt ſacræ molis ędificium, non furente Neronis perſecutione, in qua ex Torpetis actis, nullus fidelis adhuc Piſis erat, ſed ſub Veſpaſiano, aut potiùs Tito, jàm per ſanguinem Torpetis fœcundata Urbe, conditum fuiſſe, quando Chriſtiana fides gliſcebat. Nec enim initio Pontificatus Clementis, anno decimo Domitiani, jàm ſecunda, ac ſęviſſima perſecutione bacchante, extructam tàm facilè Eccleſiam crederem, ſicuti prodigiosè ab eodem Pontifice, vel eodem anno, vel deinceps conſecratam exiſtimarem: quamquam ipſe Clemens in epiſt. 2. univerſim præceperit, Eccleſias per congrua, &

uti-

utilia loca eſſe conſtruendas, *quæ Divinis precibus ſacrari oporteat, & in ſingulis, ſacerdotes, Divinis orationibus Deo dicatis, poni*. Igitur niſi Aram Petri pro Eccleſia ſumere maluerimus, nullæ alibi in Hetruria extructæ ſacræ ædes apparent, ante quàm Lucæ plures à Paulino conſtruerentur, ut non modo de prima ſuſcepta Chriſtianitate gaudere feliciſſima Civitas debeat, quam de primis in Hetruria Eccleſijs in Domino gloriari, quòd ſaltem eodem tempore, quo Petrus in Agro Piſano lapideam Aram ſtatuerit, Paulinus Lucæ ſacras ædes erexerit, quas ſeptem ex ejus antiquioribus Actis jàm vidimus fuiſſe, & ex ijſdem in codice Paulinianæ Baſilicæ expreſſas his verbis eſſe legimus. *In hac Civitate ſeptem Eccleſias dedicavit. Iſtam ſcilicet, in qua modo jacet, & requieſcit ejus Glorioſum Corpus, in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, Virginis Glorioſæ, Sanctæ Crucis, & B. Stephani Prothomartyris. Secundam in honorem Salvatoris; Tertiam in honorem Virginis Glorioſæ; Quartam in honorem Angelorum, & tres in honorem Magiſtri ſui Beati Petri, adhuc Romæ viventis in carne*. Variat hìc Razzius parumper ad calcèm vitæ Sancti Paulini, ac ſociorum, non in numero Eccleſiarum, ſed in aliquarum titulis, hoc eſt, tribus poſtremis, quas, non Petro, ſed tribus principibus Apoſtolis dicatas, aſſerit, quamvis eoſdem nominatim non indicet. At cum ſatis expreſsè in antiquo illo codice proſtent Eccleſiarum Tituli, ex fontibus de more, non ex rivulis, veritatem, quantùm licuerit, attingam. Eſt hìc autem neceſſe offendiculum nactus, ut paulisper è via decedam.

E-

Erunt enim, qui ad nomen Sanctiſſimę Trinitatis in primo Apoſtolorum ævo ſuſpicionem recentioris ſœculi inducant, & D. Stephani nuper defuncti titulum minùs in nova Eccleſia agnoſcant, & paulo minùs Virgini intemeratæ, Angelis, Cruci, aut Petro in carne viventi dicatas fuiſſe Eccleſias, facilè ſuſcipiant. Alij tot Eccleſiarum, ac Presbyterorum in una Civitate erectiones, ac conſecrationes difficillimè ferant. At imaginoſos hoſce in viam reduci, vel calcitroſos placidè dirigi poſſe, non diffido. Novatorum argumentum eſt contra Epiſtolas Alexandri Primi, ac Sanctiſſimi Pontificis, quod in ijs tàm diſtinctè Sanctæ Trinitatis unitas prædicetur, ex hoc enim inferunt ſuppoſititias eſſe, ſed quanta injuria in primam præcipuè earum calumniam ingerant, quaſi novum hoc nomen in Eccleſia ſit, oſtendunt Baronius, ac Binius, qui antiquitùs in cathechizandis fidelibus, myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis (quantum homini licet) Cathechiſtas inſinuare curaſſe, & ex Gentilibus ipſis, immò impio Luciano in Philopatro oſtendunt. Hic Chriſtianis infenſiſſimus, dùm Baptiſmum à Paulo Apoſtolo Triephoni impertitum irridet, in Critia Triephonem ita Cathecumenum inſtruentem ea, qua ſolebat, brevitate, ſubſannat. *Deum altè regnantem, magnum, æthereum, atque æternum; Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem. Unum ex tribus, & ex uno tria: hæc tu Jovem puta, hunc tu exiſtima Deum.* At quanquam impius Sophiſta non obſcurè Trinitatem, cum unitate oſtendat, ab ipſo Paulo Apoſtolo fluentem, cum tamen

men Trinitatis nomen non apertè in Apoſtolicis ſcriptis legerint, ab obiecto novitij poſt Apoſtolicum ævum nominis non recedent. Fatetur, & Bellarminus, Trinitatem non haberi expreſsè in ſcripturis, deduci tamen evidenter ex illo Matthęi ultimo. *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* Et ex Sancti Joannis 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlis, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* At negari nequit, etiam antiquiſſimis temporibus, & ſub ijſdem Apoſtolis, hoc nomen uſitatum: utitur enim eo Dionyſius Areopagita 1. cap. de Divinis nominibus, & parùm longè Juſtinus de recta confeſſione fidei, deinde verò Gregorius Thaumaturgus; Tertullianus non modò in libro contra Praxean, ſed in libro, quem de Trinitate inſcripſit, ut ex D. Hieronymo educit Pamelius, & Sanctus Cyprianus de Oratione Dominica; Novatianus adhuc Catholicus, qui floruit ſub Sancto Fabiano. Ruperti Abbatis hic teſtimonium adnectere libet, qui ait; *præſente in carne Domino, nuſquam nominis hujus (Sanctiſſimæ Trinitatis) diſtinctionem apertè traditam, vel conſervatam legimus, niſi, cum poſt reſurrectionem ſuam ait diſcipulis ſuis: euntes docete &c.* & propè finem capitis. *Igitur celebrata*, ut ſupradictum eſt, *ſolemnitate de adventu Sancti Spiritus, quo accepto, ſtatim Sanctæ Trinitatis Fidem prædicare cœperunt Apoſtoli &c.* Et quidem niſi Dyoniſij opus de divinis nominibus reſpuatur, negari non poteſt, ab Apoſtoli diſcipulis, Triadis, ſeu Trinitatis nomen uſurpatum, cum ipſe inter prima Dei nomina referat in

ipſo primo de divinis capite, ſed inſuper expreſſiſſimè ita invocatum initio libri de myſtica Theologia ex verſione Ficini. *Trinitas ſuperſubſtantialis Deitate, ac bonitate ſuperior, Divinæ Chriſtianorum ſapientiæ præſul dirige nos &c.* Nec reijci debet, quod Pariſijs in Sancti Benedicti Baſilica ſacellum conſpicuum ſit, in quo hæc inſcriptio legatur. *In hoc ſacello Sanctus Dyoniſius cœpit invocare nomen Sanctiſſimæ Trinitatis.* At ne deficiat exemplum dedicationis ſacelli, ſeu Eccleſię in Apoſtolorum, ſeu eorumdem diſcipulorum ævo, videant hi ex antiquis monumentis in Martyrologio Gallicano, Clementem Metenſium Apoſtolum, & Apoſtolorum auditorem, atque auxiliarem, Metis ſacrum lavacrum extruxiſſe in Oratorio à ſe erecto, ſub eodem titulo adorandæ Trinitatis, ut Andræas de Sauſſay recentiùs retulit de myſticis Galliæ ſcriptoribus. Quia tamen præter Sanctiſſimæ Triadis invocationem, in prima, à ſe fundata Eccleſia, addidit Paulinus glorioſæ Virginis, Sanctæ Crucis, ac B. Stephani Prothomartyris titulum, etiam aliqua ex his offendicula licet removere. Plures ab Apoſtolis, ac eorumdem diſcipulis Deiparæ Virgini conſecratas ædes fuiſſe, & recenſet, & eruditiſſimè proſequitur ex antiquitatis penu, ſpectatiſſimæ doctrinæ, ac uberrimę in B. Virginem pietatis vir Hyppolitus noſter Marraccius mihi amiciſsimus in Tomo de Marianis Apoſtolis, ubi etiam expreſsè de Paulini apud Lucenſes Mariana Eccleſia meminit. Quia verò idem Paulinus non modò in præſenti Eccleſiæ erectione, Sanctiſ-

ctiſſimæ Trinitatis titulo, Mariam addidit, quæ à . . . . . dicta fuit Trinitatis complementum, ſed & Præceptoris Petri exemplo, tertiam in honorem ejuſdem Virginis Glorioſæ omninò dicavit. Duo hìc addere libet: primò, non modò primum Paulinum fuiſſe, qui in Hetruria Eccleſias, Divæque Virginis præſertim, erexerit, ſed conjectari etiam licet ab eo tempore, Immaculatæ omninò Virginis immemorabiles Lucenſium ſenſus promanaſſe, ut illibatā etiam in Conceptione ſuſciperent, & prædicarent, ubi enim Paulinianus codex inquit, primam ædiculam, ſeu Eccleſiam dedicaſſe *in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, Virginis Glorioſæ &c.* Sinceriora ſupra allata acta habent, dū apparitores Paulinū ad palmā quærebant, inveniſſe *in quadam Cella Chriſtianorum, quam idem Sanctus Epiſcopus ad honorem Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, & Sanctæ, & vivificæ Crucis, atque ad honorem intemeratæ Virginis Mariæ Genetricis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sancti Stephani Prothomartyris dedicavit.* Quid enim intemerata Virgo ſignificat, niſi undequaque impollutam, & inviolatam, qualem Matrem Dei eſſe decebat, ab omni labe, etiam originali, remotam. Ita probat pluries, & in pluribus conſimilibus epithetis Hyppolitus jàm dictus Marraccius eruditiſſimus in notationibus ad Iſidori Theſſalonicenſis, Leonis Imperatoris, & Sancti Germani Patriarchę Marialia. Propenſiſſimam proinde in Virginem pietatem, cum ipſo primo Chriſtianę religionis lacte à Paulino imbibiſſent Lucenſes, mirandum non eſt, ab antiquiſſimo tempore, inte- *ab Hesychio,*

meratam ejuſdem Virginis Conceptionem, ita amplexatos, ac veneratos eſſe, ut uſque de anno 1312. Ara in Eccleſia D. Theodori, & Donati, Immaculatæ Virginis Conceptioni conſecrata inveniatur, & antequam ſolemni ritu ejuſdem Feſtum paſſim celebraretur, Lucæ, pluribus vicibus, & in pluribus Eccleſijs ejuſdem commemoratio tàm ſolemni ritu peragebatur, ut tanquam de re ubique, ſed prȩcipuè in Hetruria, ſingulari, ita à Bernardino de Buſto, in ſuo Mariale de excellentijs Reginę Cœli memorari meruerit. *Hoc autẽ Feſtũ ſolẽniter celebratur pluribus vicibus, & in pluribus Eccleſijs in Civitate Lucæ quolibet anno, cantando Miſſam, cum organis, & pulſu campanarum, & ornatu Eccleſiæ: de Conceptione ipſa populo prædicatur; & propter talem celebritatem, multa ab eadem Virgine beneficia recipiuntur, & prodigia plurima fiunt.* Ut non immeritò gloriari Lucenſes poſſint tàm de prima in Hetruria Virgini dicata Eccleſia, quàm de prima, ſolemniori ſaltem ritu Immaculatę Conceptionis celebritate. Ne quis præterea miretur, in ejuſdem Sacræ ædis titulum Paulinum etiam vivificæ Crucis, & D. Stephani Protomartyris nomen addidiſſe, meminiſſe poterit, ab ipſis Apoſtolis, qui non alio gloriabantur, quàm in Cruce Domini Noſtri, Cruces paſſim erectas, non modò ad dæmones fugandos, ſed ut Trophæa quædam, ac titulos. Ità Sanctus Ignatius in Epiſt. ad Philippenſes; ſed præcipuè Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione contra Arrianos, teſtis eſt, Thomam Apoſtolum, non ſolum Crucem in honorem Crucifixi Redem-

pto-

ptoris erexiſſe, ſed coram eadem quotidianas preces fudiſſe; Quod à more extructæ Eccleſiæ, in qua synaxes quotidie peragebantur, nihil abhorret. Addam, & Gretzerum, qui poſtquam Titulos antiquis fidelibus, non aliud fuiſſe. quàm Sacella, & Oratoria, docet, & Titulum antiquarum Eccleſiarum, non aliud fuiſſe, quã Crucis erectionẽ pluribus demonſtrat,& fortaſſe Paulinus,quã Cruci etiam dicavit ædiculam, in formam Crucis conſtruxerat, ut mos antiquis Patribus erat. Ità enim Sirum Papienſem Epiſcopum Apoſtolico ęvo Oratorium eadem forma conſtruxiſſe legitur apud Surium, & omnia ferè templa, juſſu Diocletiani deſolata, talem hahuiſſe formam, ex Euſebio, ac Nicephoro educit Caſalius. Sed cum Paulinus, vel ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis fuerit, vel ſaltem ex antiquioribus Apoſtolorum aſſeclis, & ex his facilè, qui ante Stephani agonem, fidem à Petri prædicatione ſuſceperint, illuſtriſſimi Martyris, ac dudum in diſciplina ſocij, memoriam ex Apoſtolico inſtituto recolviſſe, non erit incongruum, cum jàm præſertim inter Chriſtianorum ferias adnumeratum natalem diem Protomartyris Stephani ex Apoſtolicis conſtitutionibus ſciret. Equidem ſi Martialis ad Burdegalenſes Epiſtola alicujus ponderis eſſet, indè etiam conſtaret, eodem tempore, vel ſaltem ſœculo, Martialem, Aram ignoto Deo conſecraſſe *in Nomine Dei Iſrael, & ipſius teſtis Stephani, qui pro eo à Judæis paſſus eſt*. Eisyngrenius ex monumentis illius Eccleſiæ teſtis eſt, Sanctum Savinianum apud Senonenſes, Eccleſiam dedicaſ-

caſſe in honorem Virginis Mariæ, Sancti Joannis Baptiſtæ, & Sancti Stephani. At, quod majus eſt, non longè à Paulino, memoriam, ſeu, quod idem eſt, Sacellum, D. Stephano dicatum Anconæ in Italia protulit Divus Auguſtinus, ab eo inquam tempore, quo pius quidam lapidationi aſtans, lapidem à Protomartyris cubito excuſſum, ad Urbem illam, ſorte navigationis appulſus detulit, & per revelationem monitus, repoſuit: *ex illo enim tempore*, inquit Auguſtinus, *cœpit eſſe memoria Stephani, ubi eſt*; ut hinc nec inuſitatum à principio naſcentis Eccleſiæ fuiſſe appareat, Protomartyri titulum, ſeu Sacellum extrui, nec id inconveniens Auguſtinum reputaſſe. Jàm verò nec quartam Angelis dicatam à Paulino Eccleſiam refellere licet, quòd inuſitata tunc temporis fuerit Angelorum in Eccleſijs adoratio. Tantùm enim abeſt, ut Apoſtolorum tempore, peculiari cultu Angelos Chriſtiani proſequerentur, ut per Simonem Magum, ſeu Cherintum in hæreſim tranſiret, de qua Iræneus, & Epiphanius meminerunt, & quam, ad Coloſſenſes ſcribens Paulus, vetuit. Hi enim ex Platonica doctrina, Angelos, tanquam minores Deos adorabant, & non dulia, ſed latria impiè venerabantur: & ad hoc D. Auguſtinus reſpexit, dùm ait lib. de vera religione; *honoramus Angelos, charitate, non ſervitute, nec eis templa conſtruimus, nolunt enim, ſe ſic honorari à nobis, quia nos ipſos, cum boni ſumus, templa Dei eſſe, noverunt*. Quod enim ſubdit: *Religat ergo nos religio Uni Omnipotenti Deo*. Alibi enim docuerat 22. de Civit. Dei cap. 10. *Martyribus*,

non

non templa ſicut Dijs, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricare, nec ibi erigi altaria, in quibus ſacrificetur Martyribus, ſed Uni Deo noſtrum ſacrificium immolari, non negaturus certè Auguſtinus, eodem modo Angelis templa poſſe erigi, quo Martyribus. Si quis autem plura deſiderat, videat Baronium, Bellarminum, & Cornelium à lapide. Sufficiat nobis adnotaſſe de antiquiſſima Sancti Michaelis Eccleſia Conis, ſeu Laodiceæ exiſtente, meminiſſe Concilium Laodicenſe, & ante Diocletianum, aliam in Bithinia memorari in Actis Sancti Eutonimi Epiſcopi, quæ pariter antiquiſſima fuerit. Quid autem dicendum erit de Tribus Eccleſijs Præceptori Petro, à Sancto Diſcipulo dicatis? quinimò in honorem *Magiſtri ſui, adhùc Romæ viventis in Carne?* Neque hoc ab uſu aliorum condiſcipulorum abhorruit, neque à ſcriptore Sancti Præſulis vitæ inconſueta narrantur. Alexandriæ Marcum Evangeliſtam Petri nomine Eccleſiam conſecraſſe, ex Sacris Canonibus, & Anacleti Epiſtola probat inter recentiores Caſalius. Quem Marcum, cum ante Petrum, martyrem extitiſſe, Euſebius, & Hieronymus luculentiſſimi teſtes ſint, non niſi vivente Petro, ejuſdem nomini Eccleſia dicare potuit. Quinimò Eiſingrenius narrat ex Petro Equilino, non modò Proſdocimum Patavinum Epiſcopum in Urbe Tarviſina Eccleſiam extruxiſſe in honorem B. Petri Apoſtoli, jàm pro Chriſto paſſi, ſed ex Damochare addit, apud Senonenſes, Savinianum, Potentianum, & Altinum, vivente Petro, in ejus honorem

rem, templum, ſeu Oratorium erexiſſe, locumque in hujus rei memoriam, Sancti Petri vivi nuncupatum. Remanet poſtremò, ut obiectum illud tollamus, quo incredibilia ſcripſiſſe author vitæ D. Paulini arguitur, nempe, ſeptem ab eo Eccleſias, vagiente ſub Neronis Imperio Chriſtianitate, in unica Urbe extructas eſſe, & unicuique Presbyteros, & Clericos aſſignatos: ſed dùm Marcum apud Euſebium, & ejuſdem vitæ apud Metaphraſtem ſcriptorem, legimus, exemplo ſobrietatis ſuæ, & continentiæ tantam multitudinem credentium virorum, ac mulierum primo ingreſſu in Ægyptum, ac Alexandriam ad Chriſti fidem convertiſſe, ut Philonem ſub Eſſenorum nomine eorumdem inſtituta adnotare, & laudare rei geſtæ magnitudo impellere:, primò non mirabitur, qui obijcient, & Paulinum ſanctiſſimum virum, qui quotidie vigilijs, orationibus ſedulum Chriſto præſtabat officium, omnem ferè Urbem in Chriſti ſequelam traxiſſe, deinde non adhuc ſub Neronis gladio convulsis fidelibus, Eccleſiam Lucæ floruiſſe, & plures ibidem ſacras ædes dicatas, presbyteros, ac clericos ordinatos, non putabit incongruum. Nec alibi deſunt in ijſdem Petri diſcipulis luculentiſſima exempla, Apollinaris, D. Paulini Antiochiæ concivis, & ſecij, ut Acta teſtantur. Ità Proſdocimum coævum pariter, ac condiſcipulum legimus apud Equilinum, & multos evangelizantem ubique ad fidem revocaſſe, & Civitates, & Caſtella peragrantem, in omnibus Baſilicas conſtruxiſſe, & presbyteros, ac inferiorum ordi-

num

num Clericos consecrasse. Si quis autem Apostolorum ævo, & in Apostolorum discipulis, Ecclesiarum passim erectiones, & hierarcharum consecrationes videre cupit, Eysingrenium consulat in Ecclesiastica historia, centenario primo, ubi de persecutionibus, & exaltationibus Ecclesiarum agit, & tàm in Italia, quàm extra Italiam innumera his similia cumulata summo labore inveniet; sufficiat nobis, qui antiquiores fontes rimamur, Eusebium pro coronide scribentem adducere, *Ecclesias toto terrarum Orbe ab ipsis Apostolorum discipulis excitatas*, & in Apostolicis Actis, *Paulum, & Barnabam per singulas Ecclesias Presbyteros, cum jejunio, & orationibus instituisse*. Nec tamen negarem, Ecclesias hujusmodi à Paulino erectas, structura, ac magnitudine insignes minimè fuisse; nam & ptæcipuam, quę deinceps per antiquissima tempora, Cathedralis Lucensis fuit, cellulam appellari video. Oratoria antiquitùs potiùs erant, quàm templa, ut observavit Eusebius, ex quo, verba etiam mutuatus est Nicęphorus. Nam incrementa Christianæ Religionis ante Diocletiani Imperium uterque recensens, antiqua Oratoria, à Græcis euctеria vocata, quia propter angustiam multitudinem capere non poterant, ampliores Ecclesias in universis Urbibus erectas fuisse referũt; Ita tamen clariùs ad Nicęphorũ: *Plurimorum millium hominum in Oratorijs, domibus, cœtus, & conventus habiti; quæ Oratoria, cum propter angustiam, confluentem tantam multitudinem non caperent, cernere erat ex parvis initijs, & fundamentis, in augusta amplitudine, & magnitudine admi-*

randa in locis omnibus excitari, ac conſtrui templa. Idem Euſebius alibi rationem reddens, cur parta per Conſtantinum fidelibus pace, in Baſilica Lateranenſi altare fuerit è ligno erectum, primi, atque Apoſtolici ævi anguſtias ita docuit: *Cum à Sancto Petro uſque ad Sylveſtrum, propter perſecutiones neceſſitas compuliſſet ſive in Chryptas, ſive in Cœmeteria, ſive in ædes piorum, ſuper illo Altari ligneo, ad Arcæ ſimilitudinem concavo, ſacra faciebant*. Cum autem ante excitatam Neronis perſecutionem, & Petrus Aram in Piſano agro erexerit, [& ſacras Paulinus ædes in Lucenſi Urbe, non pugnat, quod ille lapideam fecerit, hìc non intra piorum ædes, ſeu in Cryptis, ſed in Oratorijs, ac parvis, communibuſque Eccleſijs ſacra myſteria celebrare potuerint, eaſdemque erigere, & conſecrare, novæ utique, ac primæ Chriſtianitatis in Thuſcia monumenta. An verò ſeptem Eccleſiæ, ſeu Oratoria à Paulino condita eſſe poſſint, quę ſub ijſdem titulis Lucæ etiam dicuntur, nec prorſus negarem, nec facilè aſſererem, cum edicto Diocletiani non minùs conſtet, antiquas Chriſtianorum Eccleſias fuiſſe dirutas, & ante eum ex adducto Euſebio pateat, *in univerſis Urbibus, fundamentis antiquarum Eccleſiarum ad majorem laxitatem dilatatis, ampliores poſtmodum erectas fuiſſe*. Equidem præter Cellulam, ſeu antiquiſſimum Oratorium, quod primum dicavit Paulinus, & in Cathedralem mox tranſijt, dilatatis fundamentis, primùm ſub titulo Antonij, & Georgij, mox Paulini, & Antonij, ante annum Chriſti octingenteſimum Lucæ Eccleſias plures extitiſſe, quæ Be-

atæ

atę Virgini, Salvatori Deo, Angelis, ſeu Archangelo Michaeli dicatę eſſent, ex Epiſcopali Tabulario planè conſtat, & nos fuſiùs, Deo favente, in annalibus noſtris oſtendemus.

Definita de adventu D. Paulini in Hetruriam Epocha expenditur, & vulgata defenditur.

CAP. XI.

COMMODE' hìc, & ante alia, primæ Lucenſium Chriſtianitatis definitum tempus ad examen revocabimus; hoc eſt, quo præcipuè anno Paulinus in Hetruriam, & ad Lucenſes venerit, cum in ejuſdem actis id expreſsè non aſſeratur. Jàm ſupra innuimus communiter apud ſcriptores receptum eſſe annum Chriſti 46. imperante Claudio. Ita Eiſingrenius, Ferrarius, Bzovius, Caracciolus, Coccinius, & ex noſtris Cœſar Franciottus, Nicolaus Tucci, & alij manu ſcripti Chronologi. At cũ Sancti Pręſulis acta à Neronis in Chriſtianos ſęvitiã exordiantur, anſam dubitandi præbent, quòd primæ in Hetruria fidei tempus, non in Claudij, ſed Neronis imperium incidat, & multis poſt Claudium annis. Quia verò duo hìc quæri poſſunt, tempus ſcilicet ad amuſſim, vel indefinitum, fateor non ità certè annum definitum quadrageſimum ſextum ſtatui poſſe, ut indefinitum, vel ſub Claudio

dio, vel Neronis initio clariùs non eluceſcat. Non deſunt tamen probabilia pro definito argumenta, ſicuti validiora pro indefinito. Narrant igitur Paulini acta, eo tempore, quo Nero Chriſtianam religionem vexare cœpit, Sanctũ Epiſcopum in Lucenſi Urbe Epiſcopalibus muneribus incumbentem, multitudinem populi Chriſto jàm lucratum fuiſſe, ſed inſuper addunt, in eadem Civitate jàm Presbyteros ordinaſſe, Severum, & Antonium, ſeptemque Eccleſias erexiſſe, atque in eis presbyteros, Clericoſque ad fidelium confirmationem ſtatuiſſe. At multorum, ſeu ut alius codex habet, univerſæ Civitatis converſio, plurium Eccleſiarum erectiones, iteratæ preſbyterorum, ac Clericorum ordinationes, dùm ſub Nerone ſeviſſima in Chriſtianos edicta vulgarentur, & quæ non Romæ ſolùm, ſed per *diverſas*, ut ait Oroſius, *Imperij Provincias* edicerentur, difficillimè in tanta trepidatione peragi poterant, & ut ità dicam non niſi prodigiosè. Deindè non hęc minimum tempus expoſtulare videbantur, nova enim dogmata populariter recipi, & à multitudine amplecti, ità ut Idolorum delubra per novas ſuper inductas Eccleſias deſtruerentur, nec parvum, nec perſecutionis tempus requirunt. Probabiliſſimè ergò illud tempus indicare videntur ſub Claudio, quandò nullo edicto Chriſtianum eſſe vetabatur, & Eccleſias novo Numini fundare nemo ex Pręſidibus Provinciarum negabat. Immò illud ad amuſſim tempus inter Chriſti annum 46., & 49. quandò non obſcurè Claudius in Senatu retulit de exter-

næ ſuperſtitionis incremento, deque Haruſpicinæ dejectione: verba apud Tacitum referam, videntur enim Chriſtianæ religionis in Hetruria progreſſum indicare. *Retulit*, inquit, *deindè ad Senatum ſuper Collegio Haruſpicum ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret &c.* mox verò. *Primoreſque Hetruriæ ſpon..è, aut Patrum Romanorum impulſu retinuiſſe ſcientiam, & in familias propagaſſe, quod nunc ſegniùs fieri publica circa bonas artes ſocordia, & quia externæ ſuperſtitiones valeſcant*. Per externas ſuperſtitiones Chriſtianã hìc religionẽ intelligi jã animadverterat, Baronius, & indè Claudiũ ad reprimendã ſurgentem fidẽ animum intendiſſe, facilè ſuadere poteſt edictum, quo Chriſtianos, ſeu Judæos tumultuantes poſt bienniũ, ut ait Suetonius, impulſore Chriſto (ità enim non Chreſtũ legit Oroſius) Roma diſcedere juſsit. Nullo inquã tẽpore faciliùs in Hetruria erigi Eccleſiæ potuerant, & presbyteri, Clericique ordinari, quã ante annũ Chriſti 50. cũ deinceps nonnihil Chriſti religio repreſſa fuerit. Id non obſcurè, quamvis impiè, ſuo de more memoratũ à Tacito ſcimus, dùm Neronis incipientem in Chriſtianos ſœvitiam narrat, *repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio* (ità per ſummam injuriam noſtrã religionem appellat) *rurſus erumpebat, non modo per Judæam originem ejus mali, ſed per Urbem etiam*. A Nerone enim ante hoc tempus Chriſti fidem coercitam ex hiſtoricis non apparet, ſed ſub Claudio, id etiam dicente Luca Evangeliſta in Apoſtolicis actis, dùm Aquilam, & Priſcillam Corinthum appuliſſe narrat, Judæis omnibus Roma à Claudio

dio pulſis. Idem non modò indefinitum tempus, ſed in anno 46. definitum oſtendere ex antiquis Chronicis videtur antiquum Auctarium ad D. Paulini vitam, quod ex Pauliniano codice ſupra adduximus. Ubi enim puriora acta habent, Paulinum à B. Petro Epiſcopum fuiſſe ordinatum, in alio additur, cum alijs quatuor Epiſcopis, B. Apollinare, B. Martiale, B. Frontone, ac B. Maximino, cujus rei anonymi Chronologi teſtes adducuntur. At quidquid ſit de primis Galliæ Epiſcopis, & incertum recentioribus ſit, quo tempore Martialis Lemovicenſes, Fronto Petrogoricenſes, Maximinus Aquenſes docuerint, quanquam non deſint, qui præter Frontonem reliquos infulatos doceant eodem anno Chriſti 46., de Apollinari quidem dubitari nequit, quin Epiſcopus eo ad amuſſim anno conſecratus fuerit. Si autem eodem tempore Paulinus conſtitutus fuit Epiſcopus, & in Hetruriam miſſus, jàm ex receptis D. Apollinaris actis ſcimus id anno 46. eveniſſe. Paſſus eſt Sanctus Ravennarum Apoſtolus juxta Baronij computum ſub Veſpaſiano anno Chriſti 75. poſt quàm Eccleſiam Ravennatem annos undetriginta tenuiſſet; Ordinatus ergo anno 46., eo ſcilicet, quem recepta etiam, & definita epocha ſignat in Paulino. Igitur etiam ſi verba illa Pauliniani codicis, ut ſupra adnotavimus, ad puriora D. Paulini acta ſuperaddita videantur, cum tamen antiquiores chronologos teſtes adducant, non videntur reſpuenda, immò cum tempus illud ad unguem tangant, quo Chriſtianæ res incrementa ſuſceperunt, ſub

Clau-

Claudio rectè indefinitam epocham ex purioribus actis collectam definiunt. Addamus insuper aliud ex eodem codice fragmentum, quod licet nonnihil recentiori charactere exaratum sit, ultra trecentos tamen annos scriptũ esse scribendi forma demonstrat. In hoc post quam aliqua de Neronis sceleribus præmittuntur, adventus Petri in Italiam ità narratur. *B. Petrus de Judæa recessit, cum quibusdam discipulis suis, & Romam venire disposuit*, deinde, post quàm Antiochiam pertransisse differit, sejunctim quoque addit, *Romam veniens plures secum discipulos per ipsum conversos, & baptizatos duxit, inter quos fuerunt isti magis famosi, videlicet Martialis, Saturninus, Savinianus, Marcus, Apollinaris, Paulinus Antiochenus vir clarissimus, atque Frontinus, cum his, & alijs quam plurimis Romam Petrus pervenit, & infra plures de discipulis suis factos, & consecratos Episcopos ad diversas dirigit Civitates Orbis. Hic Martialem Lemovicam, Saturninum Tholosam, Savinianum Senones, Frontonum Petragoricas, & amplius Marcum Evangelistam primùm quidẽ misit Aquilejam, deinde Alexandriam, Apollinarem misit Ravennam*, & post aliqua vetustate obliterata, *Paulinum Lucam*. In his quidem si tempus adventus Petri Romam ità accipiamus, ut jàm Nerone in Christianos furente accidisse credamus, ab omni prorsus veritate exulabimus. Non enim Romam Petrus advenisset ante annum sexagesimam sextum, vel septimum, quod tempus inter cœtera, cum eo pugnat, quòd Marcus non antea missus fuerit Aquilejam. At cum Marcus Evangelista idem profecto sit, ac socius itineris Petri

in

in Italiam, & ex Euſebio, & Hieronymo anno octavo Neronis, hoc eſt Chriſti ſexageſimo quarto, Martyrij palmam acceperit, utique 66. Romam cum Petro venire nequaquam potuit. An verò in reliquis Epiſcopis ſub uno tempore numerandis, fragmenti author veritatem attigerit, non affirmo, dùm enim plures tranſalpinos Epiſcopos congerit, quos Petrus ſtatim ad Galliæ Eccleſias direxit, vereri licet ſeriùs id eveniſſe, *ſeriùs nimirum tranalpes religione ſuſcepta*, ut alibi ex Severo diximus. At de Marco, & Apollinare, quibus Paulinus ſubnectit, cum nemo procul dubiò ambigat, primos Apoſtolici in Italiam itineris ſocios extitiſſe, hos quoque dubitandum non videtur ante Neronem præcipuè ſævientem in Italiam veniſſe. Jàm Apollinarem vidimus ſub Veſpaſiano paſſum, poſtquam 29. annos Ravennatem Eccleſiam tenuiſſet, qui anni Neronem excedunt, & in Claudium deſinunt, quantumvis ab ultimo Veſpaſiani numerent, Marcum verò, cum Euſebius doceat ſequenti anno, quo Petrus Romam pervenit, in Alexandria, ac Ægypto Chriſtum annunciaſſe, jàm ante, & ſuperiori anno, hoc eſt 46. neceſſe eſt Aquilejam perluſtraſſe, atque ibi Hermagoram in Epiſcopatu reliquiſſe. Si ergo cum Marco, & Apollinare Paulinus Epiſcopus conſecratus Lucam mox directus fuit, licet author fragmenti in annis firmatæ Romanæ Cathedræ excedere videatur à linea, jàm Claudij, non Neronis tempore in Paulini Epiſcopali munere agnoſcit, & cum ex iis fuiſſe Petri diſcipulis Paulinum aſſerat, quos ex Judæa,

ſeu

ſeu Hieroſolymis à ſe converſos primùm Antiochiam, mox Romam deduxit, conſona profectò primæ aſſertioni addit, quò enim antiquiorem diſcipulum Paulinum conſtituit, eò citiùs ordinatum Epiſcopum rationi prorſus convenit. Sive igitur definitam recentiorum epochã annorum Chriſti 46. in Paulino ſuſcipiamus, ſive ex purioribus actis ad Lucenſes in Thuſciam miſſum indefinito ſub Claudio tempore amplectamur, jàm ante alios, qui vel vetita, vel repreſſa Chriſtiana religione, fidem in Hetruria annunciarunt, apoſtolicum munus impleviſſe conſtare arbitror, & allata Paulini per nos acta non modò cum Hetruſcorum Chronologis alias adductis conſentire, & cum prima Lucenſium Chriſtianitate non pugnare, ſed eidem omninò favere.

D. Paulini Patria, Ætas, & diſciplina inquiruntur, ac obiter de Epiſcopali ætate, & clericali tonſura diſſeritur.

CAP. XII.

AD primam per Paulinum in Hetruria Chriſtianitatem confirmandam, & ſequentia conducere arbitror; quod enim is ex Judęa, ſive Antiochia Petri diſcipulus in Italiam advenerit, Apoſtolicis ſanctionibus conſonum redditur, ut primi, & ante alios in Italia recentiùs acquiſi-

tos diſcipulos Epiſcopalem gradum acciperent. In idem profectò ætas, & diſciplina conferunt, quandoquidem manum citò alicui imponendam, hoc eſt, Presbyteru, m⁻, aut Epiſcopum citò eligendum, & conſecrandum, Gentium Doctor ex communi Apoſtolorum, & Petri calculo in i pſa Chriſtianitatis infantia vetuerit. At in tanta ſæculorum caligine, in tanta ſacrorum monumentoru m⁻ ſub Diocletiano jactura, quis certa omninò expectabit? Thuſcum aliqui Paulinum conſtituunt, alij Antiochenum, Guilielmus Spirenſis, & Petrus Galeſinus non modò Hetruſcum fuiſſe perhibent, ſed & conſularis viri filium, ità & recenter Caccinio placuiſſe video. Vereor tamen ne primus, ex quo reliqui, Paulinum cum Paulo Sergio, qui, ut alibi monui, Lunenſibus non Lucenſibus Evangelium nunciaſſe perhibetur, unius literulæ mutatione confundat, & fortaſſe Galeſinus ex his Sancti Epiſcopi antiquioribus actis Thuſciæ indigenam, non inquilinum extorſit. *Per idem verò tempus* (hoc eſt ſub Nerone) *erat quidam uir Chriſtianus in eadem prouincia, & Ciuitate Lucenſi nomine Paulinus*. Dùm autem commorantem Lucæ dicunt, & neque Hetruſcum, neque Lucenſem diſtinguunt, neutrum affirmant, & Patris conſulatum, nec per ambages complectuntur. Ità S. Præſulis patrem, ac patriam ſepulchralis infra ponendus titulus antiquiſſimus omninò ſilet. Verùm antiquus ejuſdem Baſilicæ codex pluries ex Antiochia, & Antiochenum appellat, primumque in actis ad Eccleſiaſticæ lectionis uſum diſtinctis

ha-

habet *Ab Antiochia Romam ductum*, deinde in fragmento hęc clariùs continet. *B. verò Paulinum natione Antiochenum, virum utique totius prudentiæ, in ſermone veracem, in judicio juſtum, in conſilio providum, in commiſſo fidelẽ, in bonitate conſpicuum, in univerſa morum honeſtate præclarum, plenum fide, ac ſpiritu Sancto ad hanc noſtram Lucis Civitatem miſit.* Atque iterùm repetit in hymnis, aut ſacris cantionibus, quæ in D. Paulini ſolemni die præcini, vel recitari conſueverant. *Paulinus Antiochenſis Petri diſcipulus ipſum ſecutus obedivit ſedulus.*

Igitur quemadmodum ex his conſtare arbitror Lucenſem Eccleſiam Antiochenum Sanctũ virum credidiſſe, ità omnes alios quotquot videre potui chronologos, & de Sancto Paulino ſcriptores Antiochenum ſtatuiſſe invenio; tàm enim editi, quam non editi, tàm exteri, Razzius, Ferrarius, Bzovius, Coccinius, Caracciolus, quam noſtri, Franciottus, Civitalis, Trentius, Saminiatius, Tuccius, in idem conſentiunt, ità ut, cum ſit trium ad minùs ſœculorum traditio, non vulgi rumor, ab hac ſententia non eſſe temerè recedendum, & Paulinum Antiochenum omninò ſtatuendum eſſe, conſtare videatur. Sed enim, quidde ætate dicendum nobis erit? Adoleſcentem Paulinum, ne dicam, adoleſcentulum noſtri pingunt, & icones omnes quotquot in ejus Baſilica, & alibi coluntur, imberbem; At omnes etiam à decimo quinto ſœculo, non antiquiores exiſtunt, ni fortè milleſimum quingenteſimum ſuperet lignea effigies, quæ à dextero latere Paulinianæ Eccleſiæ, in Abſidis periſtylio ſervatur. In hac, quæ ex Epiſcopalis

habitus more cęteris vetuſtior convincitur, Sãctus Martyr, Urbis Lucenſis parvulam effigiem manu geſtans, non modò imberbis apparet, ſed dùm crinitum adoleſcentem prę-ſefert, novus ſuperinductus faciei color ętatem ità minuit, ut puſionem minori quidem reverentia deſignet. Nullibi in ejus actis, quorum præter jàm dictas syngraphas alia-vetuſta exemplaria in privatis Lucenſium Bibliothecis videre contigit, de Paulini ætate muſſitatur.) Cœſar Franciottus, pius, ac ſuavis noſtro tẽpore ſcriptor Paulinũ adoleſcentem Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe ſcribit, non verò jvvenili ætate infulatum. Rimanti autem mihi undè hæc de Apoſtolici viri adoleſcentia manaverint, aliquos docentes audivi Sanctum Epiſcopum ſub jvvenili ſpecie-aliquandò ſe fidelibus oſtendiſſe, & ſacra ejus oſſa teneriorem ætatem arguere. Utrumque nihilominùs à veritate-alienum puto; Adeſt in jàm dicto Pauliniano codice de ſacris pignoris inventione Pagani Presbyteri narratio, quã deinceps exhibebimus. In hac Paulini adoleſcentiam religioſo cuidam fratri Jacobo ex divina viſione revelatam aliqui putant, quia *apparvit ei quidam jvvenis*, vel ut infra additur, *Jvvenis pulchernimus*, & *decorus*; Hinc profectò fluxiſſe Paulini addoleſcentiam timui, quia Sanctus Epiſcopus jvvenili ſpecie Jacobo apparuerit. At præter quamquòd nil ibi de Epiſcopali habitu additur, & per Angelos jvvenili ætate myſticè aliquando apparentes hujuſmodi viſiones immittere Deus conſueverit, ea quæ ſequuntur cœleſtem fuiſſe Nuncium, non Epiſcopum ità Ja-

co-

cobum docentem appoſita verba convincunt, *erit enim vobis oſtenſum oſtenſione divina, ubi jacet corpus Paulini martyris glorioſi, fuit enim beatus Paulinus Chariſſimus, & devotus glorioſæ Reginæ Cœlorum, his dictis evanuit*, quæ ab eodem Sancto Præſule pronunciata fuiſſe minùs certè convenit. Nec ampliùs ea innuere videntur, quæ in miraculo ab eodem Pagano afferuntur, dùm cuidam à graſſatoribus in vinculis detento, & precibus à D. Paulino liberato apparuiſſe dicitur, *quidam jvvenis, qui abſoluit eum à vinculis*. Hæc enim per Angelos, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus peragi conſueviſſe frequenter legimus; & ſuſpicari potiùs liceret in alio miraculo ibidem relato ex viris religioſis, qui Villico minùs religiosè feſtivitatem D. Paulini veneranti apparverunt, alterum Sanctum Epiſcopum fuiſſe, dùm legitur; *In illa via apparuerunt duo religioſi, cum veſtimentis albis, unus de iſtis dicit ei, noli flere &c.* & infra, *& ille religioſus reſpondit, noli flere, Dominus ſanabit eum, conſulimus tibi, quòd tu nunquam habeas in contemptum feſtum glorioſum B. Paulini patris tui, ſed honora eum toto tempore vitæ tuæ, & ſignavit eum, & ſtatim ſanatus eſt, & diſparuerunt*. At hìc dùm religioſus dicitur, non ampliùs jvvenem, ſed ætate venerabilem colligere licet. At ſicuti hęc coniectanea, & incerta eſſe non dubito, ità argumentum etiam de teneriori ætate ex ſacris Lypſanis deſumptum facillimè infringi poſſe credo. Nãque, & ſi ex ſacrorum oſſium dimenſione D. Paulinum non proceræ ſtaturæ virum fuiſſe convinceretur, indè tamen adoleſcentiæ indicium ſumere puerile potiùs, quam

jvvenile eſſet argumentum, ultra vigeſimum annum oſſium deſinentibus incrementis, ut vulgus etiam novit. Jàm verò ſi Petrus Hieroſolymis, aut Antiochia, cum Paulino ſoluit, anno Claudij ſecundo, Chriſti 44., & ſub Neronis gladio uterque palmam martyrij eſt aſſecutus, id non ante annum ſexageſimum ſeptimum accidere potuiſſe ſcimus, & jàm Paulinum ad viginti, & ampliùs annos Italiam incoluiſſe dignoſcimus. Niſi ergò Apoſtolorum Princeps diſcipulum in Epiſcopum Lucenſibus prę ficiendum puerum adhuc advexerit, non modo vigeſimum ætatis annum exceſſiſſe dicendum eſt; ſed ad gloriam provectiori omninò ætate properaſſe patet. Quis autem jàm orientalibus Eccleſijs florentibus, ex multorum millium fidelium numero maturæ ætatis viros ad Epiſcopalia munera promovendos, Italoſque præ cęteros erudiendos, Petrum non ſelegiſſe dixerit? Apoſtolorum decretum adfert Eiſingrenius, in quo quinquagenarium Epiſcopum eligendum eſſe decernitur, niſi in parva parœcia, in qua ſi ſenex non adſit, jvvenem moribus tamen ſenem eligi poſſe conceditur. Inter Græcorum pariter canones, quos ab Apoſtolis fluxiſſe dicunt, non modò Epiſcopum provectioris ætatis ſeligendum decernitur, ſed de Presbyterorum ætate ità apud Baronium ſancitur. *Si quis triginta ætatis annos non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiam ſi valdè ſit dignus, quia ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt, & ſic cœpit docere*, quod etiam patet ex presbyteri voce non niſi ſenem ſignificante. Itaque cum inter Epiſcopalia mu-

ne-

nera fuerit antiquitùs prædicatio, & ex Apoſtolico inſtituto presbyter non eſſet ante trigeſimum annum, etiam ſi Canon ab Eiſingrenio adductus inter ſubditicios reijceretur, neque Presbytero, aut Epiſcopo, ex Dominico exemplo ante id tempus prædicare licuiſſet, Paulinum non niſi ſaltem quinquagenarium martyrium conſumaſſe, ex hoc capite probaretur. Non equidem negarem initio naſcentis Eccleſiæ ex divina, aut Petri diſpenſatione aliquando eveniſſe, ut aliquis in Epiſcopum promoveretur ante trigeſimum annum, quemadmodum de S. Proſdocimo Patavinorum Epiſcopo perhibetur, at id non univerſim, nec niſi peculiari ratione factum præſumi debet, & niſi, id expreſsè, ut de Proſdocimo, dicatur, Apoſtolicas omninò ſanctiones alioqui ſervatas credere par eſt. Sed & alias coniecturas ſuperaddere liceat, quæ S. Paulinum ætatis provectioris fuiſſe in Epiſcopali munere ſuadere poſſint. Venerari mihi aliquando licuit Sancti Præſulis Lypſana, & in inferiori maxilla inciſorios præcipuè dentes ab omni ſæculorum injuria in ſuis adhuc alveolis fixos inſpicere contigit, ſed in ſuprema eorumdem acie ità multorum annorum uſu detritos, ut hominis jàm ad ſenium vergentis exvvias eſſe negari non poſſit. Quia verò molares etiam aliquot dentes, non ita uſu levigati, utpote ſolidiores, obſervari poſſunt in aurata Theca, quæ Ulnam, Sancti Præſulis ſeorſim à corpore continet, gravi quidem ætate, atque in ſenium præcipiti, non tamen decrepita, palmam martyrij accepiſſe conijcio. Adoleſcen-

ſcentem quapropter à D. Petro infulatum, eo tantum ſenſu concederem, quo Saulus in Paulum mox evaſurus, dùm Stephanus lapidibus obrueretur, adoleſcens apud Lucam dicitur, quamquam ex Baronij computo, jàm trigeſimum quartum annum ageret, & eo pariter ſenſu, quo Timotheum Epheſium Epiſcopum adoleſcentem interpretatur Cornelius à Lapide, dùm ejus adoleſcentiam contemptibilem ſubditis D. Paulus ad eumdem ſcribens verebatur. Neque ideò Paulinum, in iconibus adoleſcẽtulum pingendum exiſtimarem, ſed virum, ſi malunt jvvenem, ad minùs tricenarium. Minùs etiam laudabile eſt cum infula crinitum fingi, cum id ab inducta à Petro in latinorum Eccleſiam tonſura abhorreat prorſus. Quomodo enim Petri diſcipulus à Præceptore in clericali tonſura deſciviſſet, præſertim cum Paulus Chriſticolis omnibus comam nutrire interdixerit? Non me latet aliquos vulgari errore contendere, ideò comatum S. Præſulem pingendum eſſe, quòd initio Chriſtiani à Nazareth Chriſti Redemptoris Patria Nazarei, vel Nazareni vocarentur, & Nazareorum more capillos protenderent; At hi dupliciter claudicant, Primò quòd neſciant Nazareos, quos cum Nazareth incolis confundunt, certo quodam tempore in veteri lege comam aluiſſe, moxque ſoluto voto ad aurem detonſos inceſſiſſe, ut de Paulo Apoſtolo legitur. Secundò quòd ignorent, clericalem tonſuram ab Apoſtolis, ac præcipuè à D. Petro manaſſe, idque veteres ferè omnes Eccleſiaſticorum rituum ſcriptores docere,

re, Bedam, Amalarium, Albinum, Rabanum, qui Petrum Apoſtolum à gentibus primò per ignominiam decaluatum narrat, idque in clericalem tonſuram exemplo non minùs, quàm præcepto fuiſſe converſum. Audiant S. Iſidorum de divinis officijs lib. 2. ſcribentem, Eccleſiaſticæ tonſuræ, non cœſariem nutriendi uſum ab Apoſtolis inductum, à Nazareis defluxiſſe, *qui crine ſervato, denuò poſt vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant, & capillos in igne ſacrificij ponere jubebantur. Hujus ergò exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi qui in divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazarei, ideſt Sancti Deo, crine præciſo, innoventur.* Caveant autem hi, qui in Eccleſiaſticis ſcriptoribus minùs verſati ſunt, ne virum Apoſtolicum Paulinum, tàm ab Apoſtolicis inſtitutis devium, quàm Nazaræis primæ Chriſtianitatis Hæreticis ſocium affingere præſumant. Hi enim antiquæ legis adhuc in Evangelio cerui cosi ſectatores, comam certis ceremonijs alentes, tanquam hæreſi maculati ab Epiphanio, & Philaſtrio in eorumdem cenſu numerantur. Quia autem & Paulinus Apoſtolis coævus inter ſeptuaginta eorumdem Apoſtolorum, ſeu etiam Chriſti Domini diſcipulos ab aliquibus recenſetur, & Virgini Matri convixiſſe improbabile non eſt, dùm hæc fuſius in ſequenti capite oſtendere ſatagimus, id etiam ad provectiorem S. Præſulis ætatem conferre ſedulus lector animadvertere non gravetur.

In Paulino Petri ſequela, ac inter ſeptuaginta antiquiores diſcipulos enumeratio diſcutitur, & confirmatur.

CAP. XIII.

PAULINUM Petri Apoſtolorum Principis diſcipulum antiquiſſima in marmoreo Sarcophago inventa cum ſacro corpore epigraphe his verbis teſtatur. *Hic eſt corpus B. Paulini primi Lucani Epiſcopi, & diſcipuli Petri Apoſtoli, & SS. martyrum Severi Presbyteri, & Theobaldi militis.*

Hanc non modo refert Paganus ejuſdem translationis memoratus author, ſed idem hædinus Paulinianę Baſilicæ codex paſſim confirmat. At Laziardus Pariſinus ſcriptor, dùm Petri Apoſtoli Romanum iter recenſet, multos diſcipulos de ſeptuaginta duobus eũdem ſecutos fuiſſe docet, quorum aliquos in Galliam, alios verò in Italiam miſerit; ex his quos Italis deſtinavit, *tertium Sanctum Paulinum*, inquit, *miſit Lucam, qui ibi eſt ordinatus Epiſcopus*, ità ut Paulinum inter eoſdem ſeptuaginta duos diſcipulos non obſcurè connumeret. Idem exiſtimare, & Eiſingrenius videtur, qui D. Paulinum Apoſtolorum diſcipulum, non Petri tantùm, fuiſſe ſcripſit, cum ſeptuaginta duo, ut infra patebit, & Apoſtolorum diſcipuli dicerentur. Undè autem Pariſinus, & Spirenſis ſcriptor, non dùm neque

à Raz-

à Razzio, neque à Franciotto, neque ab alio quovis authore vulgata Sancti Paulini Hiſtoria, hæc habuerit, me prorſus ignorare fatendum eſt. Ex tranſalpinis monumentis excerpſiſſe, noſtris id expreſsè ſilentibus, non eſt abſurdum. Prochorus quidem in vita Joannis Evangeliſtæ, cum quibuſque ex Apoſtolis aliquem ex ſeptuaginta duobus expeditionis ſocium progreſſum teſtatur. Quod tamen potiùs ex probabili coniectura, quàm apochriphi, ut doctiores arbitrantur, authoris calculo fidem meretur. Sunt qui putent præter ſeptuaginta duos Chriſti diſcipulos, quos Græci rotundo numero utentes ſeptuaginta dicunt, alios poſt Chriſti in Cœlum aſcenſionem eodem numero fuiſſe ſuffectos, & eodem nomine nuncupatos. Ità ex Anacleti PP. Epiſt. 2., quam nec Baronius, nec Binius reijciunt, convinci poſſe videtur his verbis. *Videntes autem ipſi Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos rogaverunt dominum meſſis, ut mitteret operarios in meſſem ſuam, indè electi ſunt ab eis ſeptuaginta duo diſcipuli, quorum typum gerunt Presbyteri.* Scilicet hujus Anacleti, qui à Petro ordinatus fuit Presbyter, decretum in Sacris Canonibus refertur, & meminit D. Antoninus, qui Gratianum adfert docentem, hos quidem à Chriſto fuiſſe electos, ſed ab Apoſtolis ſacerdotes conſecratos. Eadem videtur docere etiam Sanctus Zephyrinus Papa, qui ſub Alexandro Severo vixit, dùm teſtes contra Epiſcopum recipi vetat, ſi ſint minori numero, *quam illi diſcipuli fuerunt, quos Dominus ad adiumentum Apoſtolorũ eligi præcepit, id eſt ſeptuaginta duo.* Quia verò cõtra has

SS., & antiquorum Pontificum Epiſtolas Centuriatores Magdeburgenſes inſurrexerant, quòd cum Evangelio pugnare crediderint, Turrianus latè probat Apoſtolos quidem elegiſſe diſcipulos ſeptuaginta duos ex multis credentibus, ſed ante Domini conſpectum ſtatuiſſe, ut accepta ab eo poteſtate, & verbi prædicatores deſignati tanquam operarij in meſſem dirigerentur, ex Græco enim apud Lucam legit, *non quidem elegit Dominus & alios ſeptuaginta duos, ſed declaravit*, quod non differt à vulgato interprete *deſignavit*, atque ita non obſcurè Turrianus exiſtimare videtur, ſeptuaginta duos à Chriſto declaratos diſcipulos, eoſdē prorſus eſſe cum alijs ſeptuaginta duobus, qui Apoſtolorum diſcipuli dicebantur; & re vera, cum de hac diſcipulorum per Apoſtolos electione, ab illa, quam Dominus fecit, ſejuncta, nulla mentio in Apoſtolicis actis occurrat, hinc etiam videtur confirmari poſſe eoſdem fuiſſe, & quia poſt Chriſti aſcenſionem, vel aliquibus per mortem deficientibus ſuppletis, vel quia deinceps ab Apoſtolis Presbyteri ordinati fuerint, & Apoſtolorum ſeptuaginta duos diſcipulos etiam vocatos non eſt abſurdum. Neque enim ſtatim ordinati ſunt Presbyteri, ſed creſcente discipulorum numero, & cum jàm ſupra quinque millia eſſent. Nam Philippus, & Stephanus, & alij quinque diaconi ordinati ab Apoſtolis erant ex diſcipulis ſeptuaginta, ut Epiphanius docet. *Certè*, enim inquit Bellarminus, *non fuiſſent diaconi ordinati, ſi jàm antea fuiſſent Presbyteri*. At quidquid de 72. diſcipulis ſit, ſive ijdem à Domino,

no, & ab Apoſtolis deſignati, & electi ſint, ſive diverſi, clarum mihi eſt apud antiquos ex Apoſtolorum diſcipulis nonnullos inter ſeptuaginta numeratos alicujus etiam Apoſtoli præcipuos vocatos fuiſſe diſcipulos. Menologium Græcorum, id apud Græcos vulgatum fuiſſe me docuit, dùm Ariſtarchum, Pudentem, ac Trophimum diſcipulos inter ſeptuaginta ità refert ex Sirleti Cardinalis verſione 14. Aprilis *SS. Patrum Ariſtarchi, Pudentis, & Trophimi, qui cum eſſent ex ſeptuaginta diſcipulis poſt Pauli Apoſtoli mortem, & ipſi, Nerone Imperatore, capite cæſi ſunt.* Quod in Anthologio Romę probato, & edito ità clarius enunciatur. *Ex SS. Apoſtolorum ſeptuaginta diſcipulis Ariſtarchus, Pudens, & Trophimus; Hi ex ſeptuaginta diſcipulis Apoſtolorũ cum eſſent, magnum Apoſtolum Paulum ſecuti ſunt prædicantes*, ut in Græcorum synaxarijs repetitur. Quia etiam, & Lucas, & Marcus Evangeliſta, & Silas inter ſeptuaginta duos Chriſti diſcipulos numerantur, Alter ab Origene, & à magno Gregorio, alter ab Origene, & Epiphanio, Poſtremus ab Hippolyto martyre, & tamen Lucas à Hieronymo ſingulariter Pauli diſcipulus dicitur, & ab Adone Trevirenſi ejuſdem pariter diſcipulus, & comes. Quemadmodum Marcus Petri diſcipulus, & interpres, qui etiam ab eodem Apoſtolorum Principe filius per baptiſmum nuncupatur. Ità Creſcens apud Adonem Viennenſem Apoſtolorum diſcipulus inſcribitur, qui nihilominus in Romano Martyrologio ſingulariter Paulo aſſignatur, Ariſtarchus Pauli diſcipulus, ac individuus comes in Roma-

manis tabulis dicitur, & Trophimus ſpecialiter Petri, & Pauli diſcipulus apud Adonem Trevirenſem, ſeu Pauli tantùm apud Viennenſem indicatur, quos tamen à Græcis inter ſeptuaginta numeratos vidimus. Nil ergò vetat, & Paulinum inter ſeptuaginta duos, & Apoſtolorum diſcipulos connumeratum, ex Petri deindè ſequela Petri etiam diſcipulum appellatum fuiſſe. Nec pariter pugnaret Paulinum ex antiquis Chriſti diſcipulis fuiſſe, & Petri in baptiſmate filium, undè nomen diſcipuli tuliſſet. Sanctus Evodius Epiſcopus poſt Petrum Antiochenus apud Nicephorum ità de ſeptuaginta diſcipulorum baptiſmate ſcriptum reliquit. *Chriſtus manibus ſuis Petrum tantummodò baptizavit, & Petrus porrò Andream, & filios Zebedei, ij denique reliquos Apoſtolos, ſeptuaginta autem illos Petrus, & Joannes Theologus dictus baptizarunt.* Itaque ſi Paulinus ex ſeptuaginta diſcipulis à Petro eſſet baptizatus, ut facillimè accidere potuit, illi etiam poſt Chriſti ad Cœlum diſceſſum adhærens facilè etiam illius diſcipulus appellari potuiſſet. Jàm enim conviventibus Apoſtolis, ut ex Epiſt. 1. ad Corinth. patet, mos in Eccleſiam apud aliquos inoleverat, ut qui à Paulo baptizatus Pauli, alius verò à Petro Petri diſcipulus diceretur. Cum autem Paulinus, & Petri manifeſtè diſcipulus in ſepulchrali epigraphe dicatur, nec incongruum ſit, unum ex antiquis diſcipulis Chriſti, & Apoſtolorum fuiſſe, jàm & Laziardum, & Eiſingrenium ex hoc capite reijcere non debemus, quin potiùs ex ſequẽtibus confirmare. Nuſquam in actis Apoſtolorum legi-

tur

tur, Petrum ſibi Antiochiæ diſcipulos ex prædicatione, ſeu baptiſmate peperiſſe, quamvis enim ibi Cathedram firmaverit circa annum Domini 39., ut optimis argumentis probat Baronius, non tamen ibidem Petrum tunc fuiſſe convincitur, neque ad firmandam Cathedram corporaliter adeſſe neceſſarium putavit idem Baronius, cum ubicumque ageret ſua, qua pollebat authoritate, præſtaret; Eccleſiam profectò Antiochenam ab illis, qui poſt necem Stephani pulſi Hieroſolymis ſunt, diſcipulis primò fundatam eſſe, ex Apoſtolicis actis clarè patet; loquentibus enim illis ad Græcos *multus numerus credentium converſus eſt ad Dominum*. Tunc ab Eccleſia, quę erat Hieroſolymis, à Petro, qui fidei oſtium gentibus adaperuerat, miſſus eſt Barnabas Antiochiam, qui cum Paulo ibidem moratus per annum cum eodem turbam multam convertit ad Dominum. Atqui Paulinus, quamquam Antiochenus, tantum ab eſt, ut Barnabæ, ut Pauli dicatur diſcipulus, ut potiùs Petro apertiſſimè tribuatur, quem Apoſtolorum Principem Antiochiam ſaltem his temporibus inviſiſſe, ibique Eccleſiam, ſedemque Patriarchalem ſtatuiſſe, ſicuti non negarem, ità neque ibidem diſcipulos ſibi peculiariter ſelegiſſe non affirmarem, cum non ibi, ſed Hieroſolymis plurimos ab eodem converſos in Apoſtolicis actis appareat. Inter illos autem, qui Hieroſolymis Petrum ſecuti ſunt, Paulinum numerandum eſſe me monet author antiqui fragmenti ejuſdem vitæ in hædino ſupra memorato Paulinianæ Baſilicæ codice, in quo jàm legi vidimus

mus B. Petrum de Judæa receſiſſe cum quibuſdam diſcipulis ſuis, cum Romam contendere decrevit, atque inter famoſiores fuiſſe Paulinum.

Cum verò Petrus ex Judæa cum diſcipulis in Romanã aciem exponendis proficiſceretur, licet aliquos Antiochia ad ſe converſos ſecum duxiſſe negandum non ſit, dùm tamen inter magis inſignes Paulinum clariſſimum numerat, non niſi inter illos reponendus eſſe videtur, quos ex Judęa Romam ducere deſignaverat. Quidquid enim de Martialis ævo ſit (in aliquibus enim tempus ad amuſſim ſpectantibus authorem fragmenti deceptum fuiſſe non pugnarem) Martialem quidem ex ſeptuaginta diſcipulis Chriſti à Petro baptizatum fuiſſe, & Hieroſolymis cum Petro Antiochiam profectum docet Petrus de Natalibus, quemadmodum, & Sevinianum, & Marcum Evangeliſtam, quos dùm Paulino inter famoſiores cumulat author fragmenti, non ex poſtremis Antiochiæ converſis, ſed ex antiquioribus, ac celebrioribus ſtatuiſſe dignoſcitur. Nec obſtaret, quòd à nobis Paulinus Antiochenus diceretur; Plures enim Judæos Antiochiæ fuiſſe Joſephus contra Apionem teſtatur, qui & Antiocheni vocarentur. *Qui in Antiochia inquit habitant Judæi Antiocheni nominantur. Jus enim Civium eis dedit conditor Seleucus.* Hos ex Judæa oriundos facilè, & Hieroſolymam repetere potuiſſe, & in ſolemnioribus feſtivitatibus repetijſſe conſtat. Quin etiam ſi quis Paulinum magis Thuſcum vellet, quàm Antiochenum, meminiſſe poterit, quòd dùm complerentur dies

Pen-

Pentecostes, & susceptoab Apostolis Spiritu Sancto ex omnibus gentibus populi varijs linguis magnalia Dei loquentes audiebant, *erant etiam in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub Cælo est*. Sed re vera ex Græcis multi erant Apostolorum assectæ, *crescente enim numero discipulorum factũ est murmur Græcorum adversus Hebræos*. Græcorum inquam, non religione, sed lingua, Antiocheni peæcipuè græcè loquentes erant, ad quos Græcanicos appellatos in dispersione post Stephani necem discipuli ingressi loquebantur Dominum. Sed quia Paulinum nos Antiochenum putamus, scimus etiam inter priores Apostolorum discipulos plenos Spiritu Sancto, & sapientia, septem diaconos fuisse, & inter hos pariter, quos Epiphanius ex septuaginta duobus discipulis electos docet, Nicolaum advenam Antiochenum. Accedat ad antiquam Christi sequelam in Paulino confirmandam Virgini Matri fuisse coævum, & cum ea Hierosolymis convixisse. Id profectò non obscurè verba illa videntur innuere, quæ Angelus sacra ejusdem Præsulis pignora revelans in eodẽ hædino codice fratri Jacobo præfatur. *Surge velociter, & ad Ecclesiam B. Antonij citiùs propera, quantùm vales, & dicas ipsius Ecclesiæ sacerdoti, ut devotè, ac solemniter celebret unam missam ad honorem B. Virginis gloriosæ, & tu esto ibi cum magna devotione, & ad illam missam. Erit enim vobis ostensum ostensione divina, ubi jacet corpus Paulini Martyris glorioſi, fuit enim B. Paulinus carissimus, & devotus Reginæ Cœlorum*. Dùm enim clarè patet Paulinum Petri discipulum Apostolis contempo-

raneum fuiſſe, & Virgini Matri conviventem, poſtrema illa verba non tantùm Sanctitate morum, ac devotione carum extitiſſe Paulinum ſignificare, ſed & familiari converſatione, ut Domini, vel Apoſtolorum diſcipulum decebat, apprimè carum eidem Reginæ Cœlorum extitiſſe preſſiùs intelligenda videntur. Deiparam ubique in prima Petri Apoſtoli Jeroſolymitana prædicatione, ac præcipuorum diſcipulorum converſione adhuc in carne Jeroſolymis naſcentem Eccleſiam foviſſe nemo ambigit, ac proindè, ſive Paulinus inter ſeptuaginta Chriſti, ſive Apoſtolorum diſcipulos recenſeatur, Reginæ Cęlorum innotuiſſe, & ex probata revelatione cariſſimum fuiſſe nemo jure negare debet, neque incongruum exiſtimare, Paulinum, & præcipuos Apoſtolorum aſſeclas inter eos fuiſſe centum viginti fideles, qui beatæ ſuper Matthiam ſorti interfuerunt, ac deindè diſpertitis linguis Spiritum Sanctum die Pentecoſtes varijs linguis loquentes ſuſceperunt, vel ſaltem inter tria, aut quinque millia, qui per Petri prædicationem ad fidem converſi repleti etiam ſunt orantes Spiritu Sancto. Quomodò enim ad Italos, Gallos, & Hetruſcos præcipuè mittendos diſcipulos ſelegiſſet Petrus Judęos, & Antiochenos, niſi linguarum dono jàm sciret in vulgus, & populum apertè magnalia Dei docere poſſe propria unicuique lingua loquentes? Hæc utique licet potiùs coniectura, & ratione, quam hiſtorica narratione fulciantur, à veritate tamen nequaquàm abhorrere exiſtimarem, & cum Strabone de originibus diſſerente illud

lud uſurparem. *Neque ego, id pro certo tamen affirmo, cum in hujuſmodi rebus probabili coniectura par ſit eſſe contentum.*

Hetruſcam fidem primus Nero cruentavit, Piſana per eumdem Carnificina, & indè Thuſcorum Martyrum primitiæ.

CAP. XIIII.

SANGUIS Martyrum, ſemen Chriſtianorum, clamat Tertullianus. Si quis ergo primò in Thuſcia Martyres ejuſdem Chriſtianitatis authores dixerit, non aberrabit à ſcopo. Jàm ſupra monuimus de citeriori, ſive Urbicaria Thuſcia, non valdè nos eſſe ſollicitos, ſed noſtram ulteriorem, ſive Annonariam præſertim reſpicere. Utramque tamen non pręteribimus. In Urbicaria regione plures invenio fidei teſtes anteſignanos à ſcriptoribus memorari: Nepetę, & Pentapoli Ptolomeum, Romanum, cum triginta, & octo ſocijs, Ferentium (quæ Civitas Viterbio proxima hodie jacet) Eutitium Presbyterum, & Faleriæ Civitati Caſtellanæ proximæ Gratilianum, & Fœliciſſimam Virginem. De his aliqua jàm ſupra adnotavimus, ſed pro tempore Martyrij ad amuſim ſignando, aliqua iterare, nonnullaque addere convenit. Ptolomei, ac ſociorum acta ex Nepeſinæ, ac Sutrinæ Eccleſiarum mònumentis primus contraxit Ferrarius, ampliora edidit Jacin-

thus Nobilius Viterbienſibus Typis anni 1620. ; Et ex hoc Coccinius, & Ughellius iterum contractiora in ſuis voluminibus traſtulerunt. Omnes uno ore fatentur, ſub Claudio Imperatore palmam ſuſcepiſſe. Atqui, cum Claudius Chriſtianos ſub Judæorum nomine tantùm Romæ expulerit, non in eoſdem gladio animadverterit, jure etiam oculatiſſimus Baronius exiſtimavit, non de Tiberio Claudio Druſo Imperatore hæc eſſe intelligenda, ſed de Claudio Nerone Agrippinæ filio : & re vera quanquam unus, aut alter Idolorum zelo, non juſſu Principum occiſus pro Chriſto fuerit, propalam tamen, & Imperatorum decreto, non niſi ſub Nerone in Chriſtianos ſœvitum eſt. Tertullianus in Apologetico,& in Scorpiaceo expreſ. sè docet, primum Neronem in Chriſtianos Cœſariano gladio ferociſſe, & primum Romæ orientem fidem cruentaſſe. Oroſius pariter Neronem primum Romæ Chriſtianos ſupplicijs, & mortibus affeciſſe, deindè per omnes Provincias pari perſecutione excruciari imperaſſe, ipſumque nomen extirpare conatum apertiſſimè narrat. Ità Severus Sulpitius, poſt Urbis incendium, *Hoc initio in Chriſtianos ſœvire cœptum, poſt etiam datis legibus, religio vetabatur, palamque edictis propoſitis, Chriſtianum eſſe non licebat*, & cum in Ptolomei, ac Romani Hiſtoria aſſeratur, Sanctos viros cum triginta ſocijs extra Urbem in crypta latitaſſe, & ad preces Porfirij Idolorum Sacerdotis, Claudium Nepetâ prætereuntem mandaſſe Aſpaſio Thuſciæ Præſidi, ut Chriſtianos omnes ad Idola redeuntes præmijs cumularet

ret, in alios verò gladio animadverteret, jàm patet, non populi furore, extra Principum mandata, Ptolomæum, ac Romanum neci datos, ſed varijs tormentorum generibus excruciatos, tandem truncato capite, martyriū compleviſſe, cumque id judicialiter, & cum triginta primùm ſocijs, deindè alijs octo additis, & à Præſide primùm monitis, deindè ad mortem damnatis, peractum fuiſſe dicatur, jàm etiam ex omnibus indubium perſecutionis tempus colligere licet, quòd non ſub Claudio Druſo, ſed ſub Claudio Nerone, cum primum in Chriſtianos ſœvitum eſt, omninò incidat. Igitur non priùs, quàm Romæ fidelium inciperet carnificina, & juxta Baronij ſuffragium, non niſi anno ſexageſimo ſexto, quod tamen ad finem anni omninò eveniſſe crederem. Equidem author eſt Tacitus, non ſtatim, ac Urbs conflagravit, Chriſtianos neci traditos eſſe, ſed poſtquam Nero omnia irrita vidit, quin juſſiſſe incendium crederetur. XIIII. Kal. ſextilis principium incendij adnotarunt antiqui, quod vehementiùs ſex dies, ſeptemque noctes perduraſſe, idem Tacitus, ac Suetonius affirmant, & leviùs deindè eſſe graſſatum, ut novem incendij dies in antiqua inſcriptione numerentur. Exinde Neronē, Urbis reparationē aggreſsū proprijs ſumptibus ea peregiſſe Tacitus narrat, quæ opinionem omnium invidiam flammæ in Principem retorquentium minuerent, ac proindè petita à Dijs piacula, ſupplicationes, lectiſternia, & pervigilia imperat, quæ omnia non minimum temporis ſpacium requirere videntur, & tamen inquit

quit idem, *non ope humana, non largitionibus Principis, aut Deum placamentis decedebat infamia, quin jußum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos vulgus Chriſtianos appellabat.* Cum his autē finem anni ſubnectat Tacitus, non niſi eo ad finē vergente, eveniſſe crederem. Igitur, cum in Ptolomei, ac ſociorum actis dies palmæ ſignetur Nono Kal. Septembris, & ante hos, triginta eorumdem ſocij paſſi dicantur Decimo Kal. Julij, ac ante cœptum agonem in crypta, metu perſecutionis latitaſſe narrentur, jàm non hoc primo anno imperatæ in Chriſtianos cladis eveniſſe exiſtimarem, ſed in aliquibus ex ſuccedentibus, cum Nero jàm in Chriſtianos promulgatis legibus, vel ad vitandam incendiarij infamiam, in proximas Urbes ſecederet, vel in Hetruriam ad oſtentandam hiſtrionicam artem diverteret, ut ex Paulini, & Torpetis actis inferiùs conſtabit. Cur enim Nepete Cœſar eſſet, cum Porphirius Ptolomeum, ac ſocios eidem detulit, ſcriptor Hiſtoriæ Ptolomei, ac ſociorum non explicat. Primos igitur, qui Urbicariam Thuſciam fœcundiùs ſanguine perfuderint, Ptolomei, ac Romani triginta diſcipulos fuiſſe invenio, qui flagellis cœſi, in equuleo torti, & tandem ſecuri percuſſi præceptores per triginta, & duos dies palmam conſequuti anteverterunt. Hos ſequuti ſunt & octo ſatellites, qui martyrum animas per manus Angelorum in Cœlum deferri viderunt, Chriſtum confitentes gladio colla ſubiecerunt. Quadragenariū tandem agmen clauſerunt Ptolomeus, &

Ro-

Romanus, qui poſt carcerum diuturnum ſquallorem in equuleo diſtenti, ungulis laniati, ſudibus inter ungues transfixi, ignitis laminibus in lateribus cruciati, iterum per menſem carceribus emancipati, fuſtibus cœſi, & in ignem coniecti agonem tandem, abſciſſo capite, conſumarunt; omnes in eadem, qua latitarunt, crypta ſepulti, inventi ſunt diſtinctis loculis, anno Chriſti 1540. non modò integris corporibus, ſed glorioſis vulneribus, ità recenti ſanguine decoratis (Anteſignanus præſertim Ptolomeus) ut à Paulo Tertio Summo Pontifice in admirationem, ex devoto ſpectaculo converſo novam Eccleſiam impetraverint, cum diplomate illo, quod ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo ſexto Idus Januarij, Pontificatus nono. . . . .

. . . . . & miram Sanctorum Martyrum inventionem, his verbis teſtatur. *Cum itaque, ſicut accepimus nuper, dùm prope, & extra muros Civitatis Nepeſinæ foderetur, Altiſſimo id volente, quadraginta Sanctorum Martyrum Corpora, inter quæ corpus B. Ptolomei Epiſcopi Nepeſini, qui dùm in humanis ageret, B. Petri Apoſtoli diſcipulus erat, reperta fuere, & qui ſub quondam fidei Chriſtianæ Tyranno Claudio Imperatore Martyrij palmam reportaverunt, & quod mirabile dictu videtur, cum jàm annis mille quingentis, vel circa effluxis ab eorum Martyrio, vulnera, & ſanguis in aliquorum eorumdem Sanctorum membris in eorum repertione liquida apparebant, quæ indicia ipſorum ſanctitatem demonſtrant. Unde nos piè conſiderantes*

tes unam Eccleſiam, & domum in dicta Civitate Nepeſina ſub B. Ptolomei hujuſmodi invocatione, ſub Regula Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Romanæ, ſumptuoſo, & eminenti opere conſtrui, & ædificari decrevimus. Hæc autem Paulo Tertio exhibita narratio cum ex monumentis Eccleſiæ Nepeſinę, & Sutrinę pendeat, dùm Sanctos Martyres paſſos ſub Claudio refert, de Claudio Nerone, ut diximus, intelligenda prorſus videtur & dùm Nepeſinum Epiſcopum fuiſſe Ptolomeum recenſet, ex Ferrario, qui ab ijſdem monumentis horum Sanctorum geſta contraxit, corrigenda eſſet, quia illius acta habeant, non Nepetæ, ſed Pentapolis in Thuſcia, (quæ Urbs Nepetæ, & Sutriæ finitima erat) Ptolomeum fuiſſe Epiſcopum, Romanum verò Nepetæ. Sed jàm Faleriæ, & Ferentij Martyres veneremur, & an Ptolomeo, ſocijſque ſuppares fuerint, ad examen revocemus. Eutitium presbyterum, cujus ſacrũ corpus manna ſcatens in Hortana Diecœſi, ac propria Eccleſia à finitimis Populis magna veneratione recolitur, in perſecutione ſub Claudio paſſum eſſe acta apud Ferrarium oſtendunt ex monumentis Eccleſiæ Hortanæ, & Soriani, ubi Tutelaris Sanctus martyr colitur. Is dùm Ferentij Chriſtianis clam miniſtraret, alios ad Chriſtum convertit, inter quos Gratilianum, & Felicisſimam Virginem, quorum deinde corpora ſub ejuſdem Claudij perſecutione Martyrio conſecrata Faleriæ tumulavit. Quia verò Felicisſima in actis Sancti Landi Martyris ejuſdem ſoror nuncupatur, ſicuti Valentini, & Hilarij, qui in eo-

rum-

rumdem geſtis, paſſi ſbu Diocletiano, & Maximiano, perhibentur, putarem, ut alibi etiam innui, ad recentiora tempora, hos Martyres eſſe ſeducendos: Obſervavit quidem Ferrarius in adnotationibus ad Sancti Eutitij geſta in ijſdem Sanctorum Hilarij, & Valentini actis, de Sancto Eutitio Presbytero mentionem fieri, & cum tempora pugnare videret, & hunc ſub Claudio, illos verò ſub Diocletiano paſſos legeret, errorem corrigendum eſſe monuit, niſi quis mallet dicere, Eutitium ibi memoratũ, ab eo, de quo agit, diverſum eſſe. Eamdem diſſonantiam in actis Sancti Landi animadvertit, qui, cum frater dicatur Valentini, & Hilarij, apud Viterbium proximam exciſæ Faleriæ Urbem, Martyrio coronatorum, & is ſub Domitiano apud Vadimonis lacum agonem conſummaſſe tradatur, illi verò ſub Diocletiano, putat, nomen Diocletiani, & Maximiani, in Domitianum etiam eſſe vertendum in Sanctorum Valentini, & Hilarij actis. At cum primo Imperante Claudio nulla in Eccleſia fuerit perſecutio, & nihilominus tàm in actis Sancti Eutitij dicatur, quòd *Chriſtianis clam in perſecutione ſub Claudio miniſtrabat*, quàm in agone Sanctorum Gratiliani, & Fęliciſſimæ repetatur, quòd Gratiliani *parentes, illum ab eo propoſito avertere conabantur propter ſevera Claudij Imperatoris in Chriſtianos edicta*, cogitandum pro tollendo errore erat, an id ſub Claudio ſecundo evenire potuerit. Cum ergo non modò ſub Flavio Claudio, qui Gallieno, anno Domini 269 ſucceſſit, ingens Chriſtianorum fuerit perſecutio, ſed non

longè à ſęviſſima Diocletiani diſtet, qui imperare cœpit anno 285. hoc eſt, non longiori intervallo, quàm ſexdecim annorum, benè eſſe poterat, ut ſub Claudio Eutitius Chriſtianis miniſtraret, ſub quo paſſi fuerint Gratilianus, & Fęliciſſima, dùm ipſe tunc fuga elaberetur, ut ibi narratur, mox etiam ſub Diocletiano primùm lateret ad Gętiles baptizandos, ut in actis Valentini, & Hilarij memoratur, deindè ſub eadem perſecutione gladio peremptus fuerit, cum ejuſdem Eutitij actis nequaquam ſub quo Principe paſſus ſit, dicatur, ſed tantùm de inſtanti martyrio monitum Ferentium revertiſſe, ubi à maximo Tribuno blanditijs ptimò tentatus, mox verberibus affectus, equuleo tortus, lapidibus contuſus, gladioque tandem interfectus migravit ad Dominum; nec ideo neceſſitas inducitur, quin ſub Claudio paſſus ſit; facilius autem eſſet in actis Sancti Landi mendum ſcriptoris irrepſiſſe tam pro Diocletiano, Domitianum ſcribentis, quàm pro Diocletiano, & Maximiano in actis Sanctorum Valentini, & Hilarij Domitianum reponentis, cum cętera in Claudio ſecundo optimè conſentiant. In Urbicaria igitur Thuſcia Ptolomeum non modò Apoſtolum, ſed cum ſocijs irrigata ſanguine Provincia primum Chriſtianam meſſem fœcundaſſe apparet. Quo verò ad amuſſim anno, eumdem, quo Paulinus in Hetruria Annonaria palmam promervit, conſignarem, quandoquidem nullum Neronis itr in Hetruriam appareat, præter id, quo Lucenſibus in agro Piſano primos etiam Martyres dedit. Nec enim ità validas

ex

ex horum Sanctorum Martyrum Hiſtorijs elicere coniecturas mihi licuit, ut Ptolomeum Paulino, & ſocios ſocijs, in paſſionis epocha, anteferrem. Binas autem aſſertiones, nec levibus, ut reor, innixas argumentis de Paulini agone adferre in medium libet. Prima erit, Sanctũ Epiſcopum, non quidem, ut noſtri, Tuccius præſertim, & Franciottus exiſtimarunt, paſſum fuiſſe anno Chriſti 69., ſed potiùs 66. aut 67., antequam nimirum Petrus, & Paulus Romæ Martyrium conſummaverint; deinde Paulinum cum ſocijs in Urbicaria Thuſcia non modò primum fuiſſe Apoſtolum, ut ex pluribus hucuſque adductis conſtare arbitror, ſed ex infra dicendis, omninò Prothomartyrem fuiſſe, quem Torpes non longo intervallo ſubſequatur. Cum autem prima aſſertio ex duobus temporum rationibus pendeat, nimirùm ex eo, quo Piſis Nero fuerit, & ex eo, quo Anolinus Præſes Mediolanum conceſſerit, de his primùm mihi erit altiùs diſſerendum. Fateor, non modò, quo ad amuſſim anno Piſis Nero fuerit, non conſtare, ſed neque apud antiquos rerum Auguſtarum ſcriptores, vel ſemel ad eãdem Urbem profectum, vel aliquando ibi moram traxiſſe, non inveniri. Attamen conſtans apud Piſanos fama eſt, tantum humani generis hoſtem in eoſdem fuiſſe beneficum, Urbem reſtauraſſe, Templumque Dianę miro artificio conſtruxiſſe, cujus rudera ad Lucenſem Portam adhuc proſtent, ædeſque Neronianæ nocturnis terroribus, ac ſpectris huc uſque vexatæ nomen apud illos retineant, & advenis oſtendantur.

Hoc utique concederem, famam hanc cum antiquis ſcriptoribus non pugnare, cum aliquibus conſentire, & actis æquè Sancti Paulini, & Torpetis manifeſtè doceri. Prima jàm ſupra attulimus, & ex ſecundis, quamquam ea apud Mombritium, & Razzium edita quiſque videre poſſit, initium adferre non gravabimur ex binis Lucenſis Cathedralis membranaceis voluminibus depromptum.

In illo tempore ſub Nerone Imperatore, qui omnibus provincijs imperaverat, & in honorem ſui nominis in partibus Thuſciæ Civitatem Piſanam reſtauraverat, & ornatum Prætorij, vel teſſellarum Palatium adornaverat, dùm per multos dies imperium protraheret, recogitans cum ſuis in quibus locis templum ædificarent, ubi quotidie Deos adorarent, & invenientes locum in ingreſſu Portæ Latinæ Civitatis Piſanæ in capite Pontis fluminis Auſeris. Ibidem in omni pulcritudine ex marmore inciſo, vel jugulatis tabulis templum adornaverunt, & juſſit Imperator artificibus, ut ex auro mundo, vel margaritis ſtatuam Dianæ facerent, quam per ſingulos dies adorarent. Tunc facta eſt ſtatua Dianæ miræ magnitudinis vultum, & oculos habens quaſi vivens. Et ſic eam Nero Imperator cum magna veneratione, & multitudine Paganorum in vultu templi juſſit configi. Et in eadem die cum magna lætitia epulantes templum dedicaverunt. Et ſingulis diebus ſacerdotes eorum non ceſſabant officijs Dianæ ſervientes. Et dùm magna initia temporum eſſent recogitans Imperator cum ſuis dixit. Credo quia poſſim & ego Cœlum æreum fabricare in ſimilitudinem Cœli, quod oritur ſuper nos. Et nullus inventus eſt, qui præteriret ſermonem ejus, tunc fecit Cœlum æreum in pavimento, & ſtatuit illud ſupra columnas

nas marmoreas numero nonaginta, quod Cœlum jussit minutis foraminibus pertundi, & erat altitudo Cœli à terra pedes centum, & effudebatur desuper aqua à ministris, ut videretur quasi pluvia cadẽs in terrã, & cepit Narzius loci servator clamare dicens, cognoscant omnes quia verum, & inæstimabile est nomen Dianæ ad cujus honorem Nero Imperator istas virtutes ostendit, & mane facto jussit Imperator lampadam fieri in factura Solis, & per Cœlum trahi, ut luceret ad populum, qui erat sub Cœlo, & veniens ad occasum extinguebatur, & iterum serò hora undecima fecerunt similiter speculum cum magnis gemmis refulgens clarum nimis in factura lunæ, quod ante horam constitutam cecidit, & confractum est ità, ut neque ipsa fragmenta invenirentur, & jussit quadrigam per Cœlum trahi, ut videtur quasi tonans. Tunc misit Dominus ventum validum, & quadrigam in fluvio Auseris perjecit, & nusquam comparvit. Alia die Imperator sedens in tribunali nesciens, quod factum fuerat, dixit ad populum cognoscant &c. Eadem contractiori stylo habent Petrus de Natalibus, & Ferrarius, sed quod majus est, jàm ab octingentis annis idem sensisse videtur & Ado Trevirensis, dùm in Martyrologio Neronem Pisis tradidisse ait Torpetem cruciandum, & ad Idola cogendum Satellico Judici. Nec ideò falsi hæc insimulanda sunt, quia de ejusdem sœvissimi Imperatoris mora in Pisana Urbe, aut ad eãdem itinere non loquantur Tacitus, Suetonius, ac Dio. Præterquam quòd enim primus, ac postremus in Neronis annis mutili sunt, & Suetonius brevitati studens multa, quæ apud alios narrantur, omninò prætcrijt; Tacitus quoque, non nisi digna relatu, se vel-

le

le de eodem in annalibus referre profitetur. Et de itineribus, non niſi peregrinationes, hoc eſt, longiora itinera, Suetonius adnotavit, Alexandrinam nempe inceptam, & relictam, Achaicam proſequutam, cum tamen certum ſit, Antium, Albanum, Beneventum, Neapolim non ſemel conceſſiſſe, & alibi de ejus per Bajanũ Sinum navigatione, atque Carrucis non minùs mille feciſſe iter tradatur. Sin verò, quæ in Paulini, & Torpetis actis contineri vidimus, diligentiùs perpendantur, non modò cum antiquis ſcriptoribus non pugnare, ſed potiùs conſentire apparebit. Ut autem Piſanæ Martyrum carnificinæ tempori ſignando viam interim ſternamus, animadvertendum eſt, Neronem Piſis in Paulinum, ac Torpetem non ſeviſſe, niſi poſt incenſam Urbem, tunc enim tantùm gladiũ in Chriſtianos eduxit. Hoc autem, juxta Baronij, & Cuſpiniani calculum, non ante annum Chriſti 66. evenit, ſeu ex Petavij rationario, anno 65. Igitur, vel ipſo anno 66., vel in altero ex quatuor ſequentibus, quibus Nero advixit, Piſis adfuit; Torpes enim in Piſanum agonem productus, jàm Romæ viderat Sanctos, per manus Angelorum coronatos, eoſdem nimirum, quos ad finem anni incenſæ Urbis, vel ſequentis initio Nero neci dedit. At cum clarum etiam ex Tacito ſit, eodem anno, quo Romam incendit, Neronem majori in dies cupidine exarſiſſe promiſcuas ſcœnas frequentandi, nec tamen Romæ incipere fuiſſe auſum, ſed quia ad Græcos ſpectaculorum triumphos properabat, Neapolim, quaſi Græcam Urbem,

pro

pro ignominoſæ artis tyrocinio ſelegiſſe. Notant autem proprudioſam Neapolitanę Urbis moram hiſtorici, quia ibidem Tyridatem Armeniæ Regem, non quaſi Imperator, ſed veluti citharædus, magno Romanæ majeſtatis dedecore ſuſcepit, nequaquam tacituri, quæ in alijs Italiæ civitatibus ludicra, & hiſtrionica Nero peregiſſet, ſi aliquid memoria dignum in ijſdem interim accidiſſet; Equidem in quacumque ferè Italiæ, ac Græciæ Urbe ſuam ignominiam oſtenſtaſſe teſtis eſt Oroſius gravis, & antiquus ſcriptor, his verbis. *Nero petulantia percitus, omnia penè Italiæ, ac Græciæ Theatra perluſtrans, aſſumpto etiam varij veſtitus dedecore, ſcenicos, ceritos, cithariſtas, Tragædos, & aurigas, ſæpe ſibi ſuperaſſe, viſus eſt.* Inter Italiæ autem Urbes, quarum Theatra inviſerit Nero, cur & Piſæ eſſe non poterant, cujus Amphiteatrũ in actis Sancti Paulini memoratur, & cujus rudera adhuc perſiſtunt. Equidem Roncionius, & Taliolius referunt in ſuis mſſ. Chronicis, & Hiſtoriijs Piſanis ſequentia verba, Taliolius, *Nerone non ſolo si fermò nella predetta Città, mà fece belliſſimi edifitij, tra li quali dicono haver fatto un magnifico, e ſontuoſo Tempio &c.* Rõcionius verò. *Che queſto Imperatore, cioè Nerone dimoraſſe lungo tempo in Piſa, è coſa chiariſſima, che oltre al Palazzo, & al Tempio faceva ancora fare quell' Aquedotto, del quale ſe ne veggono alcune veſtigie à pie di detti Monti Piſani, e da tutti ſi domandano hoggi gli archi di Nerone per i quali ſi conduceva abbondantiſſima acqua in detto ſuo Palazzo &c.*, & infra. *Dico che doppo Nerone non trovo, che altri Imperatori dimoraſſero in Piſa,*

ſe

ſe non Elio Adriano aſſonto à tanta dignità l'anno 110. *della ſalute noſtra, il quale edificò un altro ſontuoſo Palazzo, un Anfiteatro, e le Terme, che di tutte queſte coſe nulla hoggi ne appare, mà dove elle furno gran veſtigie ſi ritrovano ſotto terra, e del continuo un numero infinito di medaglie d'argento, & bronzo, & di rame con diverſe impronte d' Imperatori Romani, & con quantità grande di chiodi tutti di bronzo &c. l'Anfiteatro, e le Terme erano fuori della Porta al Leone. Si diſtendevano fin al canto de i Giudei, e per intelligenza fin alla Porta Santa Maria &c.* Potuit autem faciliùs, vel hoc eodem anno 66., vel ſequenti 67., Nero Piſas divertere, tùm ad fugiendam incenſæ Urbis ignominiam, vulgique dicteria, ut ſupra innuimus, tùm quia hoc anno nullum iter in Græciam, aut in Campaniã ſignatur ab his, qui geſta ejus proſequuntur; ſed non niſi hoc tempore, Piſis eſſe potuiſſe videtur ex ijs, quæ de Anolino in actis Sancti Paulini adduntur, omninò convinci. Poſtquam enim Sanctum Epiſcopum glorioſiſſimam palmam adeptum narratur ſub Anolino Comite, additur: *Poſtmodum verò idem Anolinus miſſus Mediolanum, glorioſos Chriſti Martyres Nazarium, & Celſum atque Gervaſium, & Prothaſium multis cruciatibus affectos, decollari præcepit.* Et quanquam Sanctorum Nazarij, & Celſi acta Metaphraſtis apud Lipomanum, & Surium in aliquibus diſſideant ab ijs, quæ Mombritius edidit, in hoc tamen conveniunt, Nazarium Mediolanum perveniſſe, jàm Neronis perſecutione furente, & cum Anolinus Italiæ Præſes Gervaſium, ac Prothaſium, Chriſtum confitentes in car-

cc-

cerem conieciſſet. At cum Nero poſt Urbis incendium, non integrum quadriennium vixerit, ſi ea perpendantur, quæ de Nazario afferuntur, multum temporis, ut conficerentur, poſtulaſſe apparebit. Primùm Nazarius Mediolani ab Anolino in carcerem conijcitur, deindè in exilium truditur; hinc pergit in Galliam, & Urbes multas prædicatione perluſtrat, mox à Galliæ Præſide Dinobao in cuſtodia detinetur, & extra Civitatem expellitur; inde Temerum propinquam Meliæ Urbem incoluit, in ea vitam aliquandiù agens divinis ſuis doctrinis gregem Chriſti adauxit, donec ab Urbis illius Præſide Neroni de Nazario nunciaretur, ſive non adhuc in Provinciam illam ad uſus Chriſtianos edicta perveniſſent, ſive quia in Romanum nobilem civem manus inijcere non auderet. Neronis juſſu capitur, & ad ipſum Cœſarem tranſmittitur, in carcerem includitur cum puero Celſo, blandicijs, ac tormentis tentatur, ac deindè in mare juſſu Neronis mergitur, ereptus autem ab Angelo, & miniſtris Neronis converſis ad Chriſtum, prius Tenuſam Urbem, mox Mediolanum redijt, ubi à Civibus Anolino iterum traditur puniendus. Hunc, ut Romanum Martyrologium, Uſuardus, & Ado habent, *Anolinus ſub rabie perſecutionis, quæ per Neronem excitata eſt, diù maceratum, & afflictum in carcere gladio feriri juſſit.* Quis autem hæc recogitabit ſub Anolino, furente perſecutione Neronis, accidiſſe, hoc eſt, ante Chriſti ſeptuageſimum annum, quo impius ſibi manũ intulit, & longum tempus annorum requiri meditans, non facilè eliciet, Paulinum, ſub eodem Anolino, non mul-

multò poſt excitatam in Chriſtianos perſecutionem martyrium ſubijſſe cum hoc, antequam Anolinus Mediolanum, juſſu Neronis, pergeret, expreſsè acta ejuſdem Sancti Martyris Epiſcopi doceant? Poſt Paulini verò necem, Anolinum Comitem in Inſubriam ferè ſtatim profectum eſſe indicare videtur Sancti Torpetis Hiſtoria, in qua, eodem Nerone adhuc Piſis exiſtente, Sanctum Martyrem paſſum narratur, non quidem ſub Anolino, ſed ſub Satellico, filioque ejus Sylvino.

Nec dubitandum eſt, Torpetem paſſum eſſe, poſtquã Nero in Paulinum, ac ſocios gladium exerviſſet; Nam Sanctus ſenex Antonius, qui non tantùm à Paulino sacerdos ordinatus erat, ſed ejuſdem, & ſociorum corpora, partim ad pedem Montis Piſani, partim in Urbem Lucenſem translata ſepulturæ mandaverat, jàm perſecutione furente, latebat in monte, dùm Torpes ad eum pro baptiſmo acceſſit, immò, ut in actis ejus legitur apud Razzium, Torpetem timebat, quia eſſet de officio Neronis. Jàm igitur Nero in Chriſtianos ibi ſęvierat, & cum nemo, ut ex ijſdem actis patet, ex Piſana Civitate Martyrium compleviſſet, videtur jàm Paulinum, & ſocios agonem conſumaſſe. Neque enim poſt Torpetem Lucenſes Martyres pati potuerant, cum in Hiſtoria Sancti Paulini adhuc Piſis Neronem commorantem obſervare liceat, in narratione verò Sancti Torpetis dicatur: *Romam Nero ambulare feſtinabat, cum Satellico dedit in mandatis de Torpete: Audi eum diligenter, & ſi non de iſto vaniloquio ſe emendaverit, diverſis*

pe-

pœnis interficiatur ; & dicta adverſus eum ſententia, ſi perſeveraverit in duritia cordis ſui, & gladio finiatur ; Satellicus dixit, omnia quæcumque præceperis, ordinabo. Tunc Nero Romam ambulavit &c. Quare cum Torpes Martyrium non inceperit præſente Nerone, ſed abſente ipſo, omnem agonem compleverit, & Paulinus cum ſocijs, & inceperit Piſis, Nerone præſente, & conſumaverit, clarum videtur ante Torpetem paſſum, & ex hoc Antonium, qui alioquin in Piſano monte vitam agebat ſolitariam, poſt Paulini præceptoris necem, *latuiſſe in monte*, ut dicitur in actis Sancti Torpetis.

Primi igitur, qui Thuſciam noſtram, ſive ulteriorem glorioſo ſanguine fœcundaverint, Paulinus, ac Severus fuerunt, qui fuſtibus ad necem cœſi, tanquã frumentum electorum, in horrea Cœli merverunt transferri. Eadem hora Theobaldus miles, Lucas Diaconus, & alij multi, capitalem ſubeuntes ſententiam, palmas fœliciſſimè ſociantes, inter Hetruſcæ Chriſtianitatis cruentatas primitias numerari requirunt. Non longè ab his Torpetem ſequutum arbitror, qui omnes meſſem illam pararunt Martyrum, quam Antonius idem jàm dictus Presbyter tàm pio reſervatus officio ſepulturæ mandavit, ut in antiqua ejuſdem Antonij ſepulchrali inſcriptione infra ponenda, continetur. An inter hos Sanctos Martyres alij illi multi, qui in actis Sancti Paulini indicantur, fuerint hi, qui ſub incerto tempore paſſi Lucæ venerantur, ignoro, ut Perinus, cujus appenſa Tabella in eadem Sancti Paulini Ec-

cleſia meminit, & Imilia Dux, cujus corpus in Ara ſuperpoſita ibidem recolitur. Plurium equidem Sanctorum Martyrum ſine nomine oſſa in magna marmorea Arca, ubi Corpus Sancti Paulini requieſcit, me vidiſſe memini, dùm anno 1648. Arca illa adaperta fuit, & plurium Martyrum in confuſo dicuntur in inſtrumento confecto anno 1631., ut infra adnotabimus; quæ oſſa apertiſſimè in Inſtrumento Conſecrationis Paulinianę novę Eccleſię 1341. eorum Sanctorum Martyrum dicuntur, qui cum Paulino, ex ejuſdem Hiſtoria, decollati ſunt. Et quanquam Galeſinus in notationibus ad Martyrologium inter Martyres Lucenſis Urbis, quę ab Evangelicę prædicationis initio, fidei Chriſtianæ præceptis imbuta fuit, enumeret Hyacinthum, Quintum, Lucium, & Felicianum; hos tamen pro noſtris non ſuſciperem, cum hìc, manifeſto memoriæ lapſu, Lucenſes Martyres dicantur, qui alibi ab eodem in Lucaniæ Provincia, non Lucana Urbe, ex Uſuardo, & Beda, paſſos agnoverit, ac ex Romano Martyrologio, notiſque Baronij dignoſcatur, etiam ſi, ut notat Ferrarius, quo tempore, loco, ac genere ſupplicij fuerint coronati, nemo explicet. Poſt has Lucenſium in Hetruria Sanctorum Martyrum, ac Torpetis Piſani primitias, Feſulanos Martyres antiquiores invenio, Romulum inquam, Marchisianum, Cariſſimum, Dulciſſimum, ac Creſcentium: Quanquam tempore, quo certaminis palmam ſuſceperunt, varias epochas ſignatas invenerim. Diaccetus, & ex eo Razzius in vita Sancti Romuli palmam ſuſcepiſſe,

ſe aſſerunt quadrageſimo circiter anno poſt Paſſionem Chriſti, qui, cum juxta communem temporum rationē, anno decimo octavo Tiberij paſſus ſit, ejuſdem ætatis 34. jàm tempus certaminis Sancti Romuli ex Diacceto incidet in annum ſeptuageſimum quartum, vel ſeptuageſimum quintum, eodem ſcilicet, quo paſſus eſt B. Apollinaris Epiſcopus Ravennas, & Petri Apoſtoli ibidem diſcipulus. At Ferrarius cum ex Franciſco Cataneo, & officio Eccleſiæ Bergomenſis educat Sanctum Epiſcopum paſſum fuiſſe anno Chriſti ſeptuageſimo tertio ſub Nerone, corrigendum id eſſe in annotationibus fatetur, quòd non ſub Nerone, ſed ſub Veſpaſiano, id eveniſſe neceſſe ſit, quando Nero anno Chriſti ſeptuageſimo extremā diē clauſerit, & ſeptuageſimo tertio jàm poſt Galbam, Otthonem, & Vitellium Veſpaſianus imperaret. Falconcinius apud Ammiratum in Epiſcopis Volaterranis exiſtimavit Sanctum Romulum Feſulis datum fuiſſe Epiſcopum anno Chriſti ſexageſimo, & Cathedram Feſulanam tenuiſſe annos quindecim, hoc eſt, ad Dominum migraſſe anno ſeptuageſimo quinto; quod undè excerpſerit, ſe quoque ignorare Ammiratus fatetur, ſed annum octogeſimum ſignat, pridie nonas Julij, quo gladij ictibus confoſſus Romulus ſit, Author vitæ Sanctorum Juſti, & & Clementis Florentię editus, qui eſt Auguſtinus Camaldulenſis: & cap. 28. Martyrium Sancti Romuli ex antiquis monumentis recenſuit. At longiùs etiam protrahit Sancti Viri certamen Caccinius, hoc eſt, in annum Chriſti

ſti nonageſimum octavum. Dùm verò antiquiora acta non video, D. Antoninum ſequendum reor, qui cum Romano Martyrologio prorſus conſonat. Is igitur Sancti Martyris cum ſocijs certamen his verbis complectitur. *Repertianus audiens hujus prædicationem ipſum cum ſocijs incarceravit, catenis alligatos ſed Chriſtus apparens eos confortavit, & cum pluribus diebus ibi manſiſſent ſine cibo ab homine adminiſtrato, deindè graviſſimè per Civitatem cæſi ſunt, & tandem à quodam perfido Romulus multis ictibus perforatur, & occidi ur; ſocij decollati ſunt anno Domini XC. vel circa.* Jàm verò anno Chriſti nonageſimo, etſi Domitianus imperaret, & ſeptimus Imperij numeraretur, ac Romanum Martyrologium expreſsè Romulum ſub Domitiano paſſum recenſeat, non tamen eodem anno Chriſti nonageſimo ad amuſſim, agonem conſumaſſe exiſtimarem, ſed *circa*, hoc eſt, anno nonageſimo ſecundo, vel tertio. Tunc enim Domitianus innatam producens crudelitatem in Chriſtianos gl dium exerere cœpit, ut Baronius in Annalibus docet. Si quis autem univerſalem perſecutionem motam eſſe anno nonageſimo velit, authorem D. Hieronymum habebit, qui de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Joanne ſcribit, *quarto decimo anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem movente Domitiano, in Pathmos Inſulam relegatum fuiſſe Joannem Apoſtolum.* Si enim ab inita perſecutione ſub Nerone quatuordecim anni numerentur, hoc eſt, ab anno ſexageſimo ſexto, ut dictum eſt, jàm verè annus nonageſimus emergeret; quãquam potiùs univerſalem perſecutionem ſub Domitiano

mo-

motam eſſe ſeriùs, hoc eſt, anno ſexageſimo ſeptimo, dicendum ſit. Nec ità intelligi velim, ut, poſt primam à Nerone excitatam perſecutionem decimus quartus annus numeretur, nam tunc ſub Veſpaſiano perſecutio incideret, non ſub Domitiano; neque ab obitu Neronis, nam & hoc pacto in annum quidem octuageſimum quartum Domitiani primus collimaret, ſed in id præcipuè tempus, quod à Suetonio adnotatur, cum ille principatus initio ab omni cœde abſtinuerit. Igitur ſi Euſebium ſecutus Hieronymus, annum quartum decimum Imperij ſignat, tempus profectò univerſalis perſecutionis in annum incidet nonageſimum ſeptimum: Non tamen neceſſe eſſe, ut Romuli Martyrium in annum nonageſimum ſeptimum relegetur, nam etiamſi univerſalis perſecutio poſt Neronem ſileret ad poſtrema tempora Domitiani, unũ, aut alterum ex his, qui vehementiùs diceret, Deos gentium Dæmones eſſe, & Idolorum ſuperſtitionem ſubmovendam Evangelica libertate teſtarentur, vel ſecuri percuſſos, vel fuſtibus cœſos, tanquam gentilitiæ impietatis reos, facilè crederem; Etenim ſub Veſpaſiano Linum paſſum eſſe à Baronio convincitur, & Apollinarem Ravennatem, ex cujus actis, & apud Metaphraſtem, Leontium, Hypatum, Theodolum milites coronam meruiſſe conſtat. Ità anno nonageſimo tertio Chriſti, & Domitiani decimo, Cletum Pontificem Martyriũ compleviſſe adſtruit Baronius. Si enim acta B. Romuli, tàm apud Diaccetum, & Razzium, quàm apud B. Antoninum perpendantur, cõ-

ſta-

ſtabit planè, non juſſu Domitiani, & edicto, præſidibus furentibus, neci cum ſocijs traditum, ſed tanquam inobedientes, & ſuperſtitionis reos à Repertiano neci traditos, ut optimè Martyrologium Romanum ſub Domitiano paſſum dicere poſſit, & B. Antoninus aſſerere, id circa annum nonageſimum eveniſſe. Hac ratione Romulum Valerio Lucenſi Epiſcopo itidem Martyri prępoſui; Etſi enim hic in aliquibus manuſcriptis diſcipulum Petri fuiſſe, & poſt necem Paulini ab eodem Petro Romæ adhuc in carne vivente, Lucenſibus in Epiſcopum ſuffectum pugnet, cum tamen non alio modo conſtet Martyrio coronatum, ideò in univerſali ſub Domitiano perſecutione congruentiùs repoſui: & quamquam in dyptica ſuo loco cum his omnibus, quæ de ipſo inveniuntur, mihi ſiſtendus ſit, hìc nihilominus inter primi ſœculi Martyres referre non piguit. Utinam & hujus acta extarent, quæ diligentiùs à me perquiſita latuerunt. Nemo tamen ex noſtris negat, hunc eumdem Valerium Lucenſem fuiſſe, qui cũ Antonio Presbytero, Victore, & Luciano corpora Paulini, ac ſociorum recondiderint in ſepulchris. Hunc Cœſar Franciottus in hiſtorijs Sanctorum Lucenſium putat Martyrio coronatum ſub Domitiano, anno Chriſti nonageſimo, ſed ipſe potiùs in nonageſimum quartum referrem, quando Baronius in Antiſtites præcipuè Chriſtianæ religionis ſęvitum arbitratur, ſeu potiùs univerſali, ut diximus, graſſante perſecutione, in annum nonageſimum ſeptimum. Divo Præſuli ſanctum alium Martyrem

rem ſocium adnectere libet, quia reliqua conſonant, Victorem nempe illum, qui in alios Martyres ſepeliendi officio ejuſdem Valerij ſocius, quo ad amuſſim loco nunc quieſcat in Pauliniana Baſilica ignoratur; cum tamen in ejuſdem vetuſtioris ædis conſecratione deinceps apponenda, clarè pateat, ſacra ipſius lipſana repoſita fuiſſe à Guglielmo Epiſcopo cum miſſarum ſolemnijs in Ara eadem, in qua erat corpus Sancti Maximi.

Ex his primi Chriſtiani ſœculi Martyribus, clarè patere arbitror, nullam Hetruriæ Urbem, neque antiquiores, neque plures habuiſſe, quàm Lucenſis illa, quæ prima etiam ab Apoſtolorum Principe ſuſcepit Epiſcopum.

Paulini Apoſtolatus, ac in ipſius, & ſociorum certamine, Hetruſcæ Chriſtianitatis incrementa.

CAP. XV.

NONDUM faſcibus, ſecuribuſque in Chriſtianos Tyrannorum ſęvitia explicatis, ſub Claudij imperantis extrema, ac Neronis initia, fides ubique diffundebatur. Præter unum etenim, aut alterum privata rabie, non publico edicto mulctatum fidelem, non adhuc Martyrum ſeges maturuerat ad meſſem, & in omnem terram Evangelium placidè vulgabatur. Paulinus jàm Hetruriam ingreſſus Lucam attigerat, & Apoſtolica inflata buccina

adverſus Idolorum cultores, claſſicum intonabat. Deſunt injuria temporum per annorum ſeries præcipui Sancti Præſulis exantlati labores, & vix ſparſim, & generatim in antiquioribus actis his verbis ſignantur. *Ipſe verò diebus, ac noctibus, vigilijs, & orationibus vacans Chriſto quotidie exhibebat ſedulum officium. Hic, deſpectis hujus ærumnoſæ vitę negocijs, in eadem Civitate conſtantiſſimè prædicans multorum animos illuſtrabat, & quoſcumque poterat ab Idolorum cultura ad agnitionem Summi, Veri, & Æterni Dei, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti quotidie revocabat. Poſt Civitatem verò ad fidem converſam*, ut ſupra attulimus, hæc etiam adduntur. *In ipſa etiam Civitate cum Beatis Presbyteris Severo, & Antonio ſeptem Eccleſias Domino dedicavit, & in eiſdem Presbyteros, & Clericos, ne grex fidelium noviter ad Chriſtum converſus Cęleſtis verbi pane fatiſceret, ſanctiſſimè ordinavit.* Surgentibus igitur Lucæ ſub Sanctiſſimo Antistite primis Hetruriæ Eccleſijs, quarum titulos ex hædino codice ſuperiùs expreſſos recenſuimus, fidelium increbuerat numerus; ſed exardere jàm cœpit in eoſdem Nero Imperator, qui per ſumma ſcelera ſummæ etiam crudelitatis, & inſaniæ faſtigium affectans ex Acaja Romam redierat. Interim tamen cum religio Chriſtiana Auguſtalibus edictis vetabatur, impavidus Paulinus Florentinis fidem ferre cum Frontino, ſeu Frontone ſatagebat. At pavore minarum perterriti populi minori numero veritatem amplectebantur, ut ſupra ex Villanio demonſtratum eſt. Hoc idem & in proximioribus locis ardore fidei præſtare conatum eſſe Paulinum

num non dubito, tùm proprijs laboribus, tùm Severi, ac Antonij Presbyterorum ope, quos ex Apoſtolico inſtituto, minoribus propè Civitatibus, Caſtellis, ac Villis impoſitos credere par eſt. Igitur vulgato adverſus Chriſticolas Imperiali edicto, jàm plures Lucenſium fideles deferuntur, & Tyranni juſſu Piſas rapiuntur ad pœnas. Inter eos verò, qui præcipuis nominibus exprimuntur, Paulinus anteſiganus occurrit, ut pote qui primus in Thuſciâ Evangelicum ſemen intulerat, primus etiam illam ſanguine fœcundaret ad meſſem; deindè Severus Presbyter, Lucas Diaconus, Theobaldus miles, ejuſdem Sancti Præſulis diſcipuli, pſallentes in templo, extemplò vinculis alligantur. Jàm non minimus Chriſto famulantium numerus in prima Lucenſis Eccleſiæ preſſura convincitur ex his, quæ antiqua monumenta his verbis narrant. *Quod audiens crudeliſſimus Imperator, miſit apparitores ad Lucenſem Civitatem, ut invenirent Beatum Paulinum Epiſcopum, qui cum veniſſent ad prædictam Civitatem, invenerunt Beatiſſimum Paulinum Epiſcopum cum commilitonibus ſuis, ſcilicet B. Severo Presbytero, & Luca Diacono, atque Theobaldo milite, & multis alijs, in Chriſto credentibus, in hymnis, & laudibus inſiſtentes in quadã cella Chriſtianorum, quam idem Sanctus Epiſcopus ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, & Sanctæ, & vivificæ Crucis, atque ad honorem intemeratæ Virginis MARIÆ, & Domini noſtri JESU Chriſti, & Sancti Stephani Prothomartyris dedicavit.* Sequuntur agonis deindè geſta ante Neronem, & poſt ejus è Piſana Urbe diſceſſum ante Anolinum Comitem (Pro-

conſulũ, & Provinciarũ adiutores, & aſſeſſores ità primis Imperatorũ tẽporibus vocatos notat etiã Baronius ad Mar. tyrol. diem 31. Maij) quæ, quia fuſiùs, & fideliter à Razzio, & Franciotto narrata jàm edita proſtant, breviſſimè hic tantùm, ne quid ad hiſtoriam deſit, perſtringere libet. Diſcedit Luca fortiſſimus athleta Paulinus, ut in arenam deſcendat, commilitones tamen priùs inſtruit ad pugnam; Ad tribunal deindè Cœſaris cum ſocijs ſiſtitur; Minas omnes reſpuunt, & Thus incẽdere Dianę unanimes averſantur, flagris duriſſimè cęduntur, dũ tamen in dulcia cãtica ſoluti Chriſti laudes concinunt. Indè per triduum fame cruciandi carceri mancipantur. Poſt triduanum jejunium famelicis obijciuntur beſtijs, quæ ſalutis ſignaculo cicuratæ Martyres lambunt. Damnatis artibus adſcripta prodigia Neronis ſœvitiam acuunt, qui Piſis non diutiùs moratus Anolino per tormenta expugnandos tradit. In carceris ergo ſqualorem fortiſſimi bellatores truduntur ad poſtremam dimicationem educendi. Interim Paulinum Angelus de proxima corona ſolatur, & pro Lucenſibus ſuis ità orans auditur. *Domine Deus Omnipotens, qui diſperſa congregas, & congregata conſervas, auge fidem in te credentium, ut* Lucanus *populus, qui per me, tuo Sancto Nomini credidit, augeatur, & creſcat, & Eccleſiæ, quas ad tuam laudem dedicavi, ſtabili robore, & firmitate conſiſtant, per te JESU Chriſte Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto es coæternus, & regnas in ſæcula ſæculorum Amen.* Quæ poſtmodum oratio parumper immutata, Lucenſis Eccle-

ſiæ

ſiæ jàm frequenter in uſu, edita in antiquo ejuſdem Miſſali legitur, & in feſtivo Sancti Paulini ejuſdem ſacrificio canebatur. Nec Cœleſtis Nuncij, ex eodem antiquiſſimo codice, reſponſio defuit. *Pauline Dilecte Dei, exaudita eſt oratio tua, eras enim per martyrij palmam Regi noſtro immortali animam reddes; Corpus verò tuum in Civitate Lucana, in Eccleſia Sanctæ Trinitatis, quam tuis manibus conſecraſti, erit ſepultum. Per te enim Populus Lucanæ Civitatis augebitur, & te ibi exiſtente Patrono, Civitas illa manibus hoſtilibus nullo tempore deſtruetur.* Quod ad noſtra uſque tempora, quibuslibet Tyrannorum, ac inimicarum gentium irritis conatibus, incorruptè ſervatum vidimus; captam enim aliquando Civitatem, nunquam dirutam legimus. Ergo ad radices Montis Piſani inter Lucam, Piſaſque poſiti, non multũ longè à loco, qui vocabatur lacus hiſtoriæ Leonum, Paulinus, ac Severus Presbyter tam dirè juſſu Anolini cœduntur, ut tertio Idus Julij animas exultantes tamen, & benedicentes Dominum afflarent. Ibidem eadem die Theobaldus miles, Lucas Diaconus, & alij multi fidelium ex Lucenſi Civitate adducti capitis ſupplicio ad æterna gaudia evolarunt.

Paulini, ac ſociorum corpora à priſcis fidelibus ſepulturæ donata Lucam transferuntur, & poſt longum tempus prodigiosè inventa ſumma veneratione ſervata hucuſque coluntur.

CAP. XVI.

SACRA Sanctorum Martyrum pignora inſepulta de more relicta, ità ſepulturæ mandata præcitatus codex recenſet. *Hæc audiens glorioſus Chriſti Confeſſor Presbyter ſenex Antonius venit noctu cum Beato Valerio, & Victore Luciano, & multis aliis Chriſtianis, & rapuerunt precioſa corpora Sanctorum, & cum hymnis, & laudibus ſepelierunt ea noctu. Corpora verò Sanctorum Martyrum Paulini, & Severi, atque Theobaldi ſecretè mirificè ſepulta ſunt in ſarcophagis mundis, & novis in Civitate Lucana in Eccleſia Sanctæ Trinitatis à meridie in parte Orientis, Alia verò ſepulta ſunt non multùm longè ab eo loco, in quo decollati ſunt, Sed non poſt multum temporis ad Eccleſiam Sanctæ Trinitatis translata ſunt, & ibidem mirificè ſunt collocata.* Quis Lucenſium Chriſtianorum fervorem impavidum non miretur? Tot tantique fideles ſub Neronis gladio imperterriti in alia Hetruriæ Civitate oſtendantur, & de prima Chriſtianitate gloriam in Domino dabo. Ad plura autem ſæculorum ſpacia ſacra pignora latuerunt, donec anno 1261. aliquibus inventis Sanctorum corporibus

bus, ut infra oſtendemus, tandem & ſacrę Paulini, ac ſociorum exvviæ emergerent. Rem geſtam omnem Paganus Eccleſiæ Sanctorum Georgij, & Antonij Rector litteris conſignavit, & ejuſdem Baſilicæ membranaceus codex ſervavit ad poſteros: ex hoc ſtrictim narrationem ſubticere nolumus. Igitur anno redemptionis 1261. Jacobus quidam magnæ pietatis vir, dùm in eadem Eccleſia noctù oraret, levi ſopore captus monetur ab Angelo, non ampliùs placere Deo, ut Sancti Paulini primi Lucenſis Epiſcopi corpus lateret; properet ad cuſtodem Eccleſiæ, monita narret, ſacra in honorẽ Virginis Deiparæ myſteria peragantur. Paruit ſtatim pius alioquin Paganus Eccleſię cuſtos, & dùm incruentum celebratur ſacrificium, ſternitur in ſolo Jacobus, & vocem audit Beati Præſulis ſarcophagum indicantem. Nunciantur hæc Henrico tunc Lucenſium Antiſtiti, qui poſt triduanum jejunium, ac preces, annuit, ut clauſis Eccleſię januis, abſconditum theſaurum inquireretur. Paganus ergo, & Jacobus, novem alijs religiosis adiunctis ſocijs pręmonſtratum locum defodiunt; at tota die laborantes, adveniente veſpere, laſſatis viribus, omnes præter Jacobum ſomno capiuntur. Is ante corpus B. Antonij Presbyteri, ac Paulini diſcipuli procidens promiſſa ſpe fruſtrari dolens, lacrymis in oratione perſeverans novo ſopore corripitur. Adeſt ſtatim Cœli nuncius, qui iterum ſocios excitare, & in nomine Domini Jeſu Chriſti defodere jubet; expergiſcuntur omnes, & Auguſtiſſimum Jeſu Nomen intonantes alacriter

in

in opus pergunt, cum ſuaviſſimo repentè odore perfuſi, ac ab omni imbecillitate refecti, poſt veſperas decimo ſeptimo Calend. Julij, marmoreum, & optatum monumentũ cum hac inſcriptione nanciſcuntur. *Hic eſt Corpus Beati Paulini primi Lucani Epiſcopi, & diſcipuli Petri Apoſtoli, & Sanctorum Martyrum Severi Presbyteri, & Theobaldi militis.* Excitantur indè lętitiæ, & gratiarum voces, & ad viciniam portę Sancti Donati odoris non minùs fragrantia, quàm inventi theſauri fama percurrit. Paganus, & Jacobus cum ſocijs, alijſque nobilibus viris ſacrum pignus inventum feſtinantes nunciant Epiſcopo, qui convocatis præcipuis Cathedralis Eccleſiæ Clericis, ac Divi Dominici, ac Franciſci jàm Lucam incolentibus aſſeclis, pluribuſque alijs, accenſis funalibus, inventum ſarcophagum aperiunt, & Sanctiſſimi Paulini, & ſociorum lypſana venerantur. Indè ſolemnis indicitur translationis pompa, & adſtante Guala Cardinale, & Apoſtolicæ Eccleſiæ in Thuſcia legato, cum Guiſcardo Petraſancta Mediolanenſi, tunc Lucæ pro Republica ſumma poteſtate utente, multiſque Lucenſium millibus, ſacra pignora in eadem Eccleſia, ſed nobiliori loco reconduntur. Mirabilis autem Deus in ſanctis ſuis, prodigioſis ſanationibus tantæ ſolemnitatis gaudia cumulavit. Idem Paganus, qui reliqua de Sancti Paulini inventione litteris conſignavit, miranda fuſiùs proſequitur. Ipſa translationis die, dùm per Urbem Corpus circumfertur, pluſquam ſexaginta ægroti à varijs infirmitatibus repentè convaluerunt; & ampliùs

quin-

quinquaginta intra anni curriculũ ſanitati mirabiliter reſtituuntur. Ad nutum Martyris panduntur carceres, ſolvuntur vincula, coaleſcunt ſine ſtigmate vulnera, paralyticis robur redditur, cœci vident, & mortui reſurgunt. Quapropter Dei martyrum merita prodigijs illuſtrantis imitatores Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Henricus Epiſcopus celebritatem diei anniverſariam, quantum licuit, indulgentes auxerunt; Eccleſiam Sancti Antonij hactenus nuncupatam Divi Paulini nomine inſigniri deinceps mandarunt; Feſtivitatem ejuſdem quotannis quarto Idus Julij renovandam ſtatuerunt; Nomen in ſacris Eccleſiarum diptycis reponendum, ac in litanijs invocandum omnibus Lucenſi Diœceſi ſubiectis in poſterum eſſe decreverunt. Hujuſce conſtitutionis monimentum ecce tibi, piè lector, ex antiquo toties adducto codice integrum exhibemus.

Hæ ſunt indulgentiæ factæ per Dominum Gualam legatum Romanæ Curiæ, & Dominum Henricum Epiſcopum Lucanum.

Henricus miſeratione Divina Lucanus Epiſcopus dilectis in Chriſto filijs, univerſis Eccleſiarum Prælatis, exemptis, & non exemptis, Civitatis, & Diecœſis Lucanæ ſalutem, & benedictionem. De Conſilio Venerabilis Patris Magiſtri G. legati Apoſtolicæ Sedis in Thuſcia, & noſtrorum fratrum, ſicut nos credimus, non latere, translationem fieri fecimus venerabilium reliquiarum Sanctorum Martyrum Paulini, Severi, & Theobaldi apud Eccleſiam, quæ ab antiquo Sancti Antonij conſueverat nominari, & quam ho-

hodie antiquo nomine commutato, Sancti Paulini fecimus nominari, ordinantes de prædictorum consilio, & assensu, ut prædicti Sancti Paulini, & sociorum festivitas quarto Idus Julij debeat ab omnibus nostræ Civitatis, & Diœcesis solemniter celebrari; quare vos exemptos rogamus, ut ob Dei reverentiam, & Martyrum prædictorum, & alijs Prælatis sub excommunicationis pœna mandamus, quatenus ex parte nostra publicè in vestris Ecclesijs vestros populos moneatis, ut prædictorum solemnitatem in die prædicta debeant solemniter celebrare, visitaturi cum devotione Ecclesiam antedictam, ut participes fiant beneficiorum, & indulgentiarum à prædicto Venerabili Patre, & nobis concessarum in prædictorum martyrum devotione, venerabili loco superiùs nominato, celebrando nihilominus officium solemniter prædictorum, prout vobis Dominus dederit, ipsorum natalem in vestris litanijs, & Kalendarijs conscribendo.

In ista enim die usque ad octavas ad laudem, & Gloriam Sanctæ individuæ Trinitatis, & ad honorem Gloriosæ Virginis Mariæ, & Beati Paulini Episcopi primi Lucani, & martyris, & aliorum Sanctorum multorum, qui sunt in Ecclesia ista Dominus Guala legatus Domini Papæ in Thuscia, eo existente præsente ad hoc, ut venerarentur, & visitarentur glorioſi Martyres per unum annum, & quadraginta dies indulgentiam fecit; Henricus verò Lucanus Episcopus quadraginta dies similiter concessit, & fecit. De ista gloriosa inventione Laborator Notarius de mãdato Domini Henrici Lucani Episcopi scripturas publicas fecit, & coram multis testibus, & specialiter coram prædicto Episcopo, & Domino Alamanno Archipresbytero Lucano, & Domino Paganello de

Por-

Porcari Canonico, & Domino Aldobrando Primicerio, & Domino Gualtrotto, & Fratre Ildebrandino de Cavalcantis Priore Fratrum Prædicatorum Sancti Romani, & Fratre Bencivenne Custode Fratrum Minorum Lucanæ Civitatis, & presbytero Pagano rectore ipsius Ecclesiæ cum omnibus convicinis suis ad laudem, & gloriam Domini Nostri Jesu Christi, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum Amen.

Invalescebat interim quotidie Lucensium in Apostolum suum pietas, & Ecclesia, dudum Martyrum cellula, & antiquitùs Cathedralis, & majus Urbis templum, vel vetustate jàm labens, vel populorum frequentiæ incongruum videbatur, donec in ampliorem formam redactum anno tandem redempti Orbis 1341. à Guilielmo Episcopo noviter cum quatuor Altaribus extructum, solemniter sacraretur. Extat & nunc in tabulario Paulinianæ Basilicæ vetustum consecrationis monumentum, in quo cum plura Sanctorum corpora, & lypsana ibidem quiescentia memorentur, sacraque omnis cęremonia describatur, lectoribus meis non ingratum fore censui, si ex authographo hìc integrum exhiberem.

In Nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti Amen. Ad futuram rei memoriam noverint universi, qualiter in præsentia mei Notarij, & testium subscriptorum anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo, Indictione 9; die Lunæ Hebdomadę Sanctę, secunda Mensis Aprilis, Reverędus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Frater Guilielmus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Lucanus ad supplicationem, & instan-

ziam circumſpecti viri Presbyteri Donati Rectoris, & Franciſci Vinceguerræ Civis Lucani, Parrochiani, & Operarij Eccleſiæ infraſcriptæ, pro ſe ipſis, & dicta Eccleſia, nec non alijs omnibus, & ſingulis convicinis, & parrochianis ejuſdem, humiliter ſupplicantium, cum devotione gradiens ad parrochialem Eccleſiam Sanctorum Antonij, & Paulini, antiquitùs Cathedralem, & majorem Eccleſiam Lucanam, noviter propter ejus antiquitatem novis ædificijs, & Altaribus neceſſario reconſtructam, & ibi Pontificales veſtes indutus cum Diacono, & Subdiacono, induti ſua ſimiliter paramenta, & venerabilium multitudine clericorum aſſiſtentium eidem, & glorificantium in pſalmis, laudibus, & præconijs Nomen Dei juxta modum, formam, & ordinem Eccleſiæ conſuetum, Cęmiterium ejuſdem Eccleſię, ipſam Eccleſiam, & Altaria quatuor exiſtentia in eadem Eccleſia ad Honorem Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ Matris ejuſdem, ac Sanctorum Antonij, & Paulini, quorum titulo ipſa Eccleſia decoratur, atque Beatorum Maximi præfecti, & Annæ, totiuſque Cœleſtis Curiæ, benedixit, ſanctificavit, & conſecravit aquam ſale miſtam, & aquam ſale, cinere, & vino miſtam, ipſis aqua, ſale, vino, & cinere, priùs conſuetis Sanctis orationibus benedictis, & conſecratis per loca prædicta yſopo aſpergendo, & facto de dicto cinere ſigno Crucis, tenentis unumquodque caput ad angulum ſuper ipſius Eccleſiæ pavimento cum Baculo Paſtorali, litteras, & alia ſigna, juxta normã, quam tradunt Canonicæ Sanctiones ſuperſcribendo murum quoque ipſius Eccleſiæ tredecim figuris Sanctiſſimorum 13. Apoſtolorum, ſignum Crucis in manu tenentium, interiùs pictum, & eadem Altaria Sancto Chriſmate liniendo, & faciendo in eis cum dicto

Eto Chriſmate ſuo pollice ſigna Crucis, ac reclaudendo in eiſdem Altaribus, videlicet in Altare majore ſub honore B. Paulini primi Epiſcopi Lucani conſecrato, pyxidem quamdam ligneam, ubi ſunt de veſtimentis Beatæ Mariæ Virginis Glorioſæ, ac de reliquijs Beatorum Sanctorum Petri, & Bartholomæi Apoſtolorum, Stephani, Theodori, Georgij, & Paulini Epiſcopi antedicti Martyrum, Antonij Confeſſoris, & Cęciliæ Virginis, ac de veſtimentis Beati Joannis Evangeliſtæ, quodque ſarcophagum marmoreum plenum oſſibus multorum Beatorum pro Chriſti nomine decollatorum, de quibus in legenda Beati Paulini Epiſcopi præfati clariùs enarratur, quæ omnia priùs, erant, & reperta fuerunt in Altari veteri; Et in alio Altari ſito verſus meridiem ad honorem Sanctæ Annæ, cujus vocabulo decoratur, per eumdem Epiſcopum conſecrato, pyxidem quandam, ubi ſunt de Velamine B. Mariæ Virginis ejuſdem, & de reliquijs Beatæ Catharinæ, ac etiam oſſa multa Sanctorum, quorum nomina ignorantur, & in alio Altari verſus Septentrionem, ſuper quo reſidet in quodam ſcrinio marmoreo corpus Sancti Antonij Confeſſoris, ad ejus honorem conſtructo, & per eumdem Pontificem conſecrato, pyxidem quamdam, ubi multorum Sanctorum reliquiæ recluduntur, & in quarto Altari, quod eſt ſitum in angulo verſus ſeptentrionem, ſuper quo eſt capſa marmorea ſepulturæ corporis Sancti Maximi Cornicularis præfecti, ſub ejus honore conſtructo, tunc per eumdem Dominum Præſulem conſecrato, reliquias Sancti Victoris Dei Martyris glorioſi, cum ſacrificio, & ſolemnijs miſſarum, & alijs ſolemnitatibus conſuetis juxta formam Eccleſiæ in hujuſmodi conſecrandis Eccleſijs obſervari. Inſuper præfatus Pater Dominus Epiſcopus Lucanus, dùm eſſet in miſſarum ſolemnijs, ſe-

ſequens Dei conſilium, quod eſt, date, & dabitur vobis, remittite, & remittetur vobis, & hujuſmodi conſecrationis tanto bono cupiens etiam addere bonum, ut fiat majus bonum, de miſericordia, & benignitate Dei, Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, & Beati Martini patroni ſui plenè confiſus, omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad dictam Eccleſiam acceſſerint, vel de ſuis bonis aliquid ſecundum ſuam facultatem ibidem Deo obtulerint, anni unius, & dierum quadraginta in die dictæ Conſecrationis, & Anniverſario, ac dierum quadraginta per octavas eorundem veniam conceſſit, perpetuis temporibus duraturam. In quorum omnium teſtimonium præfatus Pater mandavit præſens Inſtrumentum confici per me Joannem Notarium infraſcriptum. Actum Lucæ in dictis locis, præſentibus Venerabilibus viris, Dominis Nicolao Archipresbytero, Jacobo de Prato, & Joanne Martroris Canonicis majoris Eccleſiæ Lucanæ, Sinibaldo Plebano Plebis de Piſcia Lucanæ Diœceſis, ipſius Domini Epiſcopi Vicario, & Soffredingo Canonico Eccleſiæ Sanctorum Joannis, & Reparatæ de Luca, & religioſis viris Fratribus Franciſco de Caſema, & Petro Ordinis Prædicatorum, ſocijs ipſius Domini Epiſcopi Lucani, ac diſcretis viris, Presbytero Nuto Rectore Eccleſiæ Sancti Senſi de Luca, & Bartholomæo magiſtro ſcolarum Eccleſiæ Lucanę, & dictis Presbytero Donato Rectore, et Franciſco Operarijs Eccleſiæ ſupradictæ, Ser Bernardo Bonoſi, Ser Jacopo Morlani de Luca, et Ser Joanne Galandi, Cancellario dicti Domini Epiſcopi, Notarijs teſtibus, ad hæc vocatis, et rogatis, et præſentibus, nobilium Cleri, populique multitudine ſexeus utriuſque ad hujuſmodi Conſecrationis officium congregatis.

Ego

Ego Joannes Manni de Luca Imperiali authoritate Judex Ordinarius publicus, consecrationi, et omnibus singulis supradictis una cum prænominatis testibus interfui, et de mandato ipsius Domini Episcopi, et rogatu dictorum Rectoris, et Operarij subscripsi, et publicavi.

Ego Joannes Bernardi de Sarzana Lunensis Diœcesis publicus Imperiali authoritate Notarius, et Iudex Ordinarius, ac præfati Domini Episcopi Scriba, prædictis omnibus, et singulis, factis, gestis, et habitis per dictum Dominum Episcopum, dùm ea per ipsum agerentur, interfui, et ea de ipsius mandato scribenda recepi, unà cum præfato Ioanne Notario, et me subscripto, ac signum meum apposui consuetum, anno mense, die, Indictione, et coram testibus supradictis.

Anno deindè 1369, quo Carolus Quartus Imperator, id Paulino precibus, ut credere par est, à Deo extorquente, Lucenses in pristinam libertatem asseruit, Sanctissimi Præsulis Arca recluditur, ipso adstante libertatis assertore Carolo, & hæc sub eodem marmore hædina relicta epigraphe. *Hoc est Corpus Sancti Paulini, primi Lucani Episcopi, quod noviter provisum, et præsens monumentum apertum fuit tempore, et in præsentia Serenissimi Principis, et DD. Caroli Quarti, Dei gratia Romanorum Imperatoris, et Bohemiæ Regis, et Venerabilis Patris Domini Guilielmi Lucani Episcopi, et DD. Antianorum Lucani Cõmunis, et quamplurium vicinorum dictæ Contratæ, tempore Rectoris Presbyteri Lippi Iohannis prædictæ Ecclesiæ Divi Paulini sub anno Domini 1369. Indictione septima, die vigesima Iunij.*

Am-

Amplior deindè anteacto ſœculo Baſilica Senatus Lucenſis pietate erigitur. Cum enim anno Chriſti 1511. Lucenſis Civitatis propugnacula ad recentioris oppugnationis modum aptanda eſſent, & Eccleſia Sancti Donati tunc extra Urbis mœnia Apoſtolicæ Sedis indulgentia foret removenda, placuit ex utraque Auguſtum Paulino templum erigere, eodēque Collegiatæ Eccleſię Sancti Donati Clericos cum Prioris dignitate transferre. Hinc ex marmoribus, Baccio de Monte Lupo inſigni Architecto modulum exhibente, & operis præfecto, excitari cœpit, quæ nunc extat, inſignis Baſilica, in cujus majori Ara ſacræ Divi Paulini, & ſociorum in lapidea Arca quieſcentes exvviæ, his in Altaris abſide ſignatis litteris, coluntur.

Sanctiſſimi Martyris Paulini Epiſcopi Lucenſis, et hujus libertatis Protectoris, Theobaldique, Severi, atque Lucæ corpora hìc teguntur.

Marmoreum, in quo jacent ſacra corpora, ſarcophagum, licet aliqua fragmenta à fidelibus, dùm anno 1261. inventa ſunt, ad varias curandas infirmitates Paganus Presbyter adhibita eſſe teſtetur, idem eſſe exiſtimavi, in quo Beatus Antonius, alijque priſci Chriſticolæ ſanctorum Martyrum lypſana condiderunt. Extat enim in eodem marmore Paſtoris in humero ovem portantis imago, antiquiſſimi moris ſymbolum, quo vetuſtiora martyrum ſepulcra Romæ olim ſignata, Baronius docuit, & noviſſimè in ſubterranea Roma Aringhius exhibet.

Arin-

Ut hinc, devotum, furente in fideles Neronis gladio, Lucenſibus in Sanctum Præſulem, ſocioſque ſtudium vel cum vitæ diſcrimine non defuiſſe appareat. Patronum proindè ſemper Civitas venerata; Summus enim cum Senatu Reipublicę Magiſtratus in pervigilij veſperis tormentorum lœtantium exploſione, ſolemni pompa, quam luminariam vocant, feſtivum recolit diem, & inſequentem non minori devotione, ac populi frequentia proſequitur. Ad Sanctiſſimum ergo Apoſtolicum Præſulem nil mirum, ſi Lucenſes in quacunque Urbis trepidatione effuſi preces augeant, & expoſitum ſacrum pignus per Urbem circumducant. Ità tumultuante adverſus patricios plebe anno 1531. die 26. Novembris publicis ſupplicationibus delatum refert Franciottus. Ità noſtro tempore, peſtilentia graſſante, jejunijs, ac triduana proceſſione indicta, anno 1631. magna marmorea Arca iterum recluditur, & ſacrum corpus decenter aptatum ſolemni ritu circumfertur. Ordinem memorabilis pompæ ſubtexere minutiùs libet ex authographo, tunc manu Bernardini de Pieronis Epiſcopalis Cancellarij confecto, ne deinceps ex obſoleta memoria, mutato ſtylo aliquid inconcinnè accidat, ut in alia ſimili pompa eveniſſe, non ſine animorum indignatione, memini, & omnia ſine altercationibus, ut maximè decet, imò decenter, & laudabili devoti populi tranquillitate percurrantur. Igitur die 15. Junij ejuſdem anni, poſtquam manè ſummus Reipublicæ Magiſtratus, Senatuſque univerſus in Sacrario Sanctiſ-

ſimi Vultus, Epiſcopi Alexandri manu ſacram ſynaxim ſuſcepiſſet, idem Epiſcopus in veſperis, primoribus ex Lucenſi Clero comitantibus, ad Divi Paulini ædem acceſſit infulatus, cupreſſinam Arcam plumbeis laminis, & coccineo holoſerico intùs aptatam benedixit, deindè lapideam in ſuprema ara urnam reſerari juſſit; ea eſt altitudinis unius ulnæ menſuræ Lucenſis, longitudinis verò trium ulnarum cum triente. Ablato operculo, tabuliſque binis marmoreis, quibus ſacra oſſa propiùs tegebantur, remotis, ſacras inſpexit reliquias. In dextera ejuſdem ſarcophagi parte Sanctiſſimi Lucenſium Apoſtoli Paulini oſſa, in plumbea capſa inventa cum hædina, quam ſupra retulimus, epigraphe, deindè ſejunctim poſita Sancti Theobaldi, ac Severi Martyrum proprijs titulis notata corpora, & in ſiniſtra parte plurimorum Martyrum ſimul poſita oſſa conſpiciebantur. Quibus omnibus de more veneratis, Alexander Epiſcopus Sanctiſſimi Præſulis tantùm pignus è ſepulcro in argentea parata vaſa extraxit, & diligentiùs lypſana rimatus, inter cineres nimirum, oſſium portiones, dentes, cranij inſignes partes in parata cupreſſina urna, auratis æneis vinculis in modum crucis undique fulta, cum clavibus, & ſigillo, & ſequenti hædina inſcriptione repoſuit.

Anno à Chriſto nato 1631.

Per Urbem Lucam, et ejus Dominium, peſtilentia graſſante, Alexander Guidiccionius Epiſcopus, et Comes Imperialis Arca reclu-

recluſa, reliquias S. Paulini primi Epiſcopi Lucenſis, & Martyris propter memoriam anni 1369. ſub Carolo quarto Imperatore ibidem repertam, et ritè agnitas, et in Arcula cupreſſea collocatas, tres aſſiduos dies per Urbem ſolemni ritu, Excellentiſſimo Senatu cum Vexillifero Iuſtitiæ piè concomitante, circumtulit, et deindè in hoc eodem loco, quam plurimis votis ad peſtem depellendam profuſis, ſanctiſſimè repoſuit die decima quinta Junij.

Sequenti verò die, nempe ejuſdem menſis decima ſexta, Epiſcopi juſſu, totius cleri ſœcularis, & regularis in eadem Paulini Baſilica generali indicto conventu, Reipublicæ ſummo Magiſtratu, conſcriptiſque Patribus piè comitantibus, Sanctiſſimi Præſulis corpore luſtratur Civitas, & ſuper Aram maximam templi Divo Frigdiano dicati, quod diei ſuperfuit, piorum venerationi relinquitur. Exacto noctis pervigilio, manè ſuccedentis diei ijdem, utſupra, conveniunt, indeque piè ſublatis lypſanis, iterum ſolemni ſupplicatione, per alias Urbis vias ad principem Divi Martini Eccleſiam deducuntur, ac Lucano capitulo conſignata, per reliquum diei, noctiſque curriculum recoluntur. Tertia verò jàm illuſcente die, nempe decima octava Junij, eadem pompa ex majori Eccleſia ad propriam Divi Paulini Corpus Sanctum reducitur, permenſis, quæ ſupererant, Urbis vijs, donec effuſis iterum precibus in propria ſede, proxima ſuccedente nocte, reconderetur. Ne quid verò etiam villicis, contagione graſſante, Urbem ingredi interdictis, de Sancti Patris veneratione deeſſet, ſingulis ſolemnibus ſupplicationibus,

per aliquam murorum partem, ubi congeſtitia humo militares firmantur viæ, efferebantur lypſana, & per Urbis ambitum in foſſę labro mœnibus adverſo circumfuſi agreſtes, Sancti Paſtoris dextero brachio per manus Epiſcopi ter benedicentis oſtenſo, ſublatis undequaque ſupplicantium vocibus, non mediocri ſolatio levabantur. Nec minori animorum motu in cujuſcunque ſupplicationis publicæ fine, dùm cives terna ejuſdem brachij benedictione Epiſcopus ſignaret, inter ſuſpiria, & lacrymas filiorum ad patrem clamantium voces extollebantur; Ut experirentur enim Divi Tutelaris in brachio, quam fecit Deus potentiam, dextera Sancti Paulini Ulna, quæ argentea theca, ſejunctim à corpore ſervatur, & quotannis feſto die omnibus oſculanda exhibetur à Canonico, ante ſacri corporis urnam in eadem pompa circumferebatur, in cujus obverſa manu tres integri molares dentes etiam venerandi exhibentur, & in exteriori cubiti parte hæc inſculpta leguntur.

Queſto è il braccio di Miſſer Santo Paulino primo Veſcovo di Lucca fatto in tempo di Prete Lippo Rettore della ditta Chieſa, e di Johanni Mingogi Operaro de la ditta Chieſa ✠ anni 1394.

Noviſſimè verò dùm populares morbi lethaliter Lucæ, & in plurima ejus ditione graſſarentur, anno nempe 1648., iterùm ad Sanctiſſimum Præſulem Lucana Civitas in preces ſolvitur. Joannes Baptiſta Epiſcopus, inter alia, quibus enciclica Epiſtola gregem monuit, generali ſynaxi, jejunijs, alijſque ſalutaribus operibus indictis, ſolem-

lemnem cum Divi Paulini corpore pompam per Urbem celebrat, die undecima Septembris. Tunc etiam eadem in lapidea Sancti Paulini Arca mihi obſervare licuit in ſiniſtra parte jacere, quæ ſupra diverſorum Martyrum ſine nomine oſſa memorantur, quæ, ut plurium corporum eſſe non dubito, ità Lucæ Diaconi, & aliorum, qui cum Paulino pugnæ ſocij geminata victoria triumpharunt, cum non alibi in eadem Eccleſia oſtendantur, ſine hæſitatione eſſe crederem.

Ex Paulini Apoſtolatu Lucenſis Eccleſiæ conſequutum decus.

CAP. XVII.

ADDAM tandem, ut has Hetruſcæ Chriſtianitatis primitias in Apoſtolatu Paulini claudam, coronidis loco, inſigne pro Lucenſis Eccleſiæ veneratione corollarium; mirari me ſolitum, cur Thuſcia tam inſignis Italiæ Provincia ante milleſimum annum Archiepiſcopalem ſedem non habuerit. Piſana non ante annum milleſimum nonageſimum ſecundum in Archiepiſcopatum evaſit. Florentina, & Senenſis apprimè in tam magno ſæculorum ſpacio recens. Florentinus enim Epiſcopus non niſi à Martino V. anno ſalutis milleſimo quadrigenteſimo vigeſimo Archiepiſcopus renunciatur. Senenſis à Pio ſecun-

cundo Archiepiſcopale nomen ſuſcepit anno 1458. Nollem hìc mihi nimium in patriam ſtudium exprobrari. Lucanam Eccleſiam origine inter Hetruſcas primam, primo ſaltem Chriſtianitatis ſæculo, primatem fuiſſe, his rationibus mihi ſuadebam. Primùm ex ipſius Petri verbis, quæ in actis Sancti Paulini in ejuſdem Baſilica ſervatis leguntur. *Pauline ſerve Dei, vade Lucam, & annuncia verbum Dei, ut præſſes ibi omnibus Epiſcopis.* Confirmabat in ſententia Rupertus Abbas, qui de Divinis Officijs lib. 1. cap. 27. ex Apoſtolis ſucceſſoribus Archiepiſcopos ab Epiſcopis ſejungens, ait: *Aliorum quidem Apoſtolorum ſucceſſores Patriarchæ ſunt dicti, Petri autem ſucceſſor pro excellentia Principis Apoſtolorum, Apoſtolicus nominatur. Qui autem ab eis per Provincias miſſi ſunt, tam ipſi, quàm ſucceſſores eorum, Archiepiſcopi vocantur.* Accedebat, quòd ex Epiſtola Anacleti ſecunda, & tertia, Metropolitani, & Archiepiſcopi in illis Urbibus à Petro, & Clemente dicebantur, *quæ præfatis, & priſcis temporibus*, ſecundum leges ſæculi, non primę, ſed Metropoles erant alicujus Provinciæ Civitates, & quæ *à Sanctis Apoſtolis, & à Beato Clemente, ſive à nobis*, inquit Anacletus Apoſtolorum & ipſe ferè coęvus, *primates Prædicatores acceperunt.* Cum enim Luca priſcis & ante Petrum temporibus, primùm Ligurum Apuanorum caput, mox Liguribus in Galliæ Provincia recenſitis, ex quatuor eſſet, quæ juridicundo eidem Italicæ Galliæ præerat, & ex primatibus Antiochia ductis, prima in Hetruria, in qua tunc recenſebatur, primatem ab ipſo Petro prædicatorem

ac-

acceperit, Metropolitanæ, ſeu Archiepiſcopalis ſedis titulum mereri non exiſtimabam abſurdum. Equidem, ſi Ptolomęo Lucenſi, candido aliòquin ſcriptori fides adhibenda eſt, anno 1070., hoc eſt, viginti duobus antequam Piſana in Metropolim erigeretur, Alexander ſecundus Pontifex *dignificavit Epiſcopatum Lucenſem Cruce coram Epiſcopo ferenda, ſicut coram Primate.* Et licet in Bulla Lucij Papæ Tertij data Laterani 1182., expreſſa habeatur Crucis deferendę conceſſio Guilielmo Epiſcopo Lucano, ejuſque ſucceſſoribus, & Pallij, quo jàm utebatur, confirmatio: nihilominus, re melius quàm in editis Matildæ Comitiſſæ monumentis perpenſa, exiſtimavi cum Ptolomęi antedicta aſſertione nequaquam pugnare; in Authographo enim Lucij, quod in Arca Privilegiorum ſecretioris Epiſcopalis Carthophilacij ſervatur ſub nota * 3. & quod mutilum tantùm in hædino recentiori codice exemplorum legeram, præter conceſſionem Crucis per Diœceſim deferendæ, bis repetitur confirmatio conceſſorum ab Alexandro ſecundo, inter quæ nil vetat eamdem etiam Crucis ante Epiſcopum, ſicut coram Primate, deferendæ facultatem contineri. Utcumque tamen ſit, hoc certiſſimum eſt, antiquioribus Chriſtianitatis ſæculis, ſicuti nullam ex Hetruſcis Eccleſijs Archiepiſcopali titulo donatam, neque in Concilijs, neque alibi legere etiam ſedulò mihi perquirenti contigit, ità præter Romanam, cujus ſuffraganeus Lucenſis Epiſcopus ſemper extitit, ut ex antiquis monumentis Vaticanæ Bibliothecæ monet Baronius

nius Tom. 11. ad annum 1059. nulli alij unquam Metropolitano ſubdita, ante Florentinam, & Senenſem, Archiepiſcopalis Crucis, & Pallij uſu decorata fuit, ſicuti ab antiquiſſimo tempore Lucanis Canonicis uſus Mitræ conceſſus Epiſcopi auxit majeſtatem; Ut, ſi quando ad ſacra munia peragenda prodeat his decoribus ornatus, ſi primæ Hetruſcæ Chriſtianitatis nobilitas ſpectetur, & ampla, cui imperabat, Diœceſis, non niſi livore quodam notari poſſit; *Lucenſem Antiſtitem tot mitratorum medium, auguſtiorem ſanè pompam exhibere, quàm pro Lucenſi Epiſcopo*, ut in hoc parū quidē ęquus judex vir doctus animadvertere non dubitavit, qui ęquo animo ferre debet, ſi Matri Eccleſiæ, quæ me lacte fidelitatis nutrijt, debitum, vel auferri, vel denigrari decorem pro viribus non ſinam; paratus & pro Catholica Eccleſia, cujus non ignobilis, per Apoſtolorum Principem, & Paulinum ejuſdem diſcipulum filia Lucenſis extitit, ſanguine, ne dùm calamo pugnare.

Sancti Paulini, quæ deindè afferentur acta, antiqua, & ſincera eſſe, & cum varijs Martyrologijs concordare, oſtenditur.

CAP. XVIII.

LIBET deinceps antiqua Sancti Paulini monumenta in lucem evocare, ut ejuſdem Apoſtolici viri geſta, & Apoſtolatus labores, quantùm licet ex abditis expromā-

mántur. Edidit ejusdē penè hiſtoriam aliquando in vernaculam linguam converſam Seraphinus Razzius, & poſt eum ſuaviori ſtilo commutatam publici juris fecit Cœſar Franciottus, contractiorem verò Ferrarius, & Bzovius. At de more relictis rivulis, fontes rimabor, & binos præcipuè manu exaratos hædinos codices mihi duces proponam. Eſt primum magnum membranaceum volumē, quod Paſſionarium dicunt, & in Cathedralis Lucenſis Cartophilacio ſervatum, in quo cum alijs plurium Sanctorum hiſtorijs Divi Paulini geſta continentur. Alter in Paulinianę Baſilicę ſacrario hædinus item codex exiſtit, qui præter ejuſdem Sancti Præſulis acta, ad uſum Eccleſiaſticæ pſalmodiæ fortaſſe olim digeſta, ſacri ejuſdem corporis inventionem, translationem, miracula, & Beati Antonij ejus diſcipuli hiſtoriam etiam cumulat. Primum ex forma caracteris majorem redolet antiquitatem; Secundum poſt annum ſexageſimum ſupra milleſimum ducenteſimum exaratum fuiſſe exiſtimarem; tùm ex litterarum modulo, tùm quia translationem, quæ circa hæc tempora accidit, non mutatis caracteribus continet. Prioris codicis acta, quamvis parùm à ſecundo differant, puriora & ſinceriora exiſtimarem; nullum enim continent additamentum, ut in ſecundo licet animadvertere, in quo præter paucula ad marginem adiecta, aliqua etiam ſeorſim ad Divi Paulini hiſtoriam ſpectantia non nihil recentiori ſtylo conſcripta præcedunt, & aliqua ex chronicis collecta continent, quæ ex varijs coniecturis

exiſtimarem addita circa annum milleſimum tercenteſimum, & quadrageſimum. Multa etiam confuſo ordine in eodem volumine congeſta apparent cum alijs adhuc recentiori caractere appoſitis, quæ potiùs ad Sancti Martyris ſacra ſolemnia celebranda, quàm hiſtoriam texendam pertinere patet, cum Hymnos nimirum, & ut vocant, Antiphonas complectantur. Antiquiora ego tantùm, & ex antiquo Cathedralis codice adducere malui, hoc nihilominùs ordine, ut poſt eadem pauculas cum Pauliniano memorato codice differentias adijcerem, & notationes, quę brevi ſtylo tranſigi poſſent, ibidem adderē, reliquis, quæ diffuſiorē diſcuſſionē requirerent, ad propria capita reſervatis, ut ea tanquam ad primam univerſim Hetruriæ Chriſtianitatem ſpectantia, veluti cætera digererem: Præfari autem nonnulla malui, ut nihil, quod veritatem collimare poſſit, reticeam. Quo igitur authore, quove ad amuſſim tempore hæc Divi Paulini acta ſcripta fuetint, adhuc me ignorare contingit. At quāquam poſt annum milleſimum apud noſtros etiam D. Paulini memoria deperdita fuerit, non tamen ubique eamdem ſortem ſubijerat. Equidem in membranaceo codice inſcripto de vitis Sanctorum Patrum Longobardis caracteribus exarato, & in Archivio Monaſterij Cavenſis ſervato, de Sancto Leone Cavenſi Abbate ad ejus vitæ calcem hæc habentur. *Præfuit abbas in prædicto Monaſterio Cavenſi annos viginti novem, obijt anno ſalutis* 1079. *quarto Idus Julij, qui dies memorabilis eſt morte Divi Paulini, qui fuit*

pri-

primus Lucenſis Epiſcopus illuc miſſus à Divo Petro Apoſtolo. In ejuſdem Leonis vita penes me authentica. Inventionis, ac translationis hiſtoriam à Pagano Presbytero ejuſdem Paulinianæ Baſilicæ Rectore, ac omnium oculato teſte fuiſſe compoſitam circa annum Domini 1261., eamdem cuique legenti planè conſtare poteſt. Sanctiſſimi Præſulis lypſana ante hoc tempus per plura ſœcula latuiſſe, certum eſt. An verò ejus acta quoque latuerint ad illud uſque tempus, non ità affirmarem. Paganus certè, dùm ejuſdem anni 1261. translationis pompam proſequitur, ſub barbaro *legendæ* nomine hiſtoriam Divi Paulini non obſcurè deſignat, dùm, quæ paucis ipſe contrahit, ingenti fidelium multitudini in ipſa translationis ſolemnitate innotuiſſe narrat. Eſt enim neceſſe, vel ante inventionem, & translationem fuiſſe cognita, vel eodem tempore cum ſacro corpore inventa fuiſſe. Verba ex eodem antiquo volumine adducere libet inter alia, quæ integra ſuo loco dabimus. *Illis diebus pluſquam quinquaginta millia inter homines, & mulieres audiverat; ſicut continetur in legenda ejus, quòd iſte Venerabilis Paulinus fuit primus Epiſcopus iſtius Civitatis &c.* Hujus pariter *legendæ*, ſeu hiſtoriæ meminit vetuſtus, & jàm diu deſuetus codex pariter membranaceus in Bibliotheca Cathedralis Lucenſis, in quo antiquus ordo illius Eccleſiæ, & ſacrarum cœremoniarum pro quibuſque feſtivis diebus elenchus continetur. Hinc enim patet, antiquitùs Divi Paulini hiſtoriam, ut

Catholicę Eccleſię mos eſt, in divinis officijs publicè recitari conſueviſſe, & in novę, numericis in margine notis, lectiones fuiſſe diviſam, quemadmodũ in ſupradicto codice Baſilicæ Divi Paulini, quem Paulinianũ vocari libuit, adhuc conſpici poteſt; Hæc pariter acta memorantur in novæ ejuſdem Divi tutelaris Eccleſiæ conſecratione ſub anno 1341., in cujus, quod ſupra integrum exhibuimus, authentico legitur, *ex veteri Eccleſia translatum fuiſſe ſarcophagum marmoreum, plenum oſſibus multorum Beatorum pro Chriſti nomine decollatorum, de quibus in legenda B. Paulini Epiſcopi præfati clariùs enarratur*. Sed utinam quas de Sancti Præſulis *glorioſa inventione Laborator Notarius de mandato Domini Henrici Lucani Epiſcopi ſcripturas publicas fecit*, & hucuſque me etiã ſedulò perquirentem latuerunt, lucem aliquando aſpicerent; & ſicuti in diplomate Henrici Epiſcopi pro ſacris ſolemnis translationis Indulgentijs memorantur expreſsè, ità ſine hæſitatione dicerent, an hiſtoria, vel antiquiſſimũ monumentum, undè confecta ſit, inventa eodem tempore cum ſacro corpore fuerit. At quæ præcipuè in Cathedralis magno Voluminę acta extant, perantiqua eſſe, nemo, qui inſpexerit negare audebit; & ex hoc mutila ſaltem circa initium accepit Baronius, dùm in notis ad Martyrologium, ità incipere ait; *Multi fuerunt reges &c.* quę verba alia ſubſequi patet. Brevis certè epigraphe, quę de Apoſtolico viro Paulino ad diem Quarto Idus Julij in ſuo Romanæ Eccleſiæ Martyrologio Uſuardus habet, ab ijs, quæ mox adducemus, non diſſonat. *In Thuſcia, Civi-*

tate

tate Luca, Beati Paulini, ejuſdem Civitatis primi Epiſcopi, qui ſub Nerone in radice Montis Piſani, poſt multos agones, Martyrium ſuum conſummavit. Quanquam enim taceat, Petri fuiſſe diſcipulum, dùm tamen ſub Nerone paſſum affirmat, non niſi Apoſtolorum aſſeclam fuiſſe, neceſſe habet fateri. Ità & Maurolycius Abbas in ſuo Martyrologio ad eũdem diem 4. Idus Julij his verbis conſonat. *In Thuſcia Civitate Lucana D. Paulini primi Epiſcopi, qui ſub Nerone juxtæ radices Montis Piſani poſt multos agones triumphavit.* Clariùs quapropter Galeſinus in ſuo pariter Romanæ Eccleſiæ Martyrologio Apoſtolicum virum profitetur, quanquam ſingulari aſſertione, natione Thuſcum, & conſularis viri filium agnoſcat. *Lucæ in Hetruria Sancti Paulini, qui Viri Conſularis filius, Thuſcus, Apoſtolorum diſcipulus, ad Chriſti fidem converſus, primus illius Civitatis Epiſcopus, in Neronis perſecutione variè, acriterque cruciatus Martyrij denique palmam aſſecutus eſt.* Non diſſimilia habere Caniſium in ſuo Martyrologio idem Galeſinus in notationibus, & Eiſingrenius teſtes ſunt. At clariſſimè, & majori omnium ponderẽ, acta, quæ diffuſa afferemus, per compendium deſignat Romanum jam omnibus Eccleſijs commune, & authoritate Pontificia probatum Martyrologium, in quo eadẽ die ità Paulini Apoſtolatum complectitur. *Lucæ in Thuſcia Beati Paulini, qui à Sancto Petro primus ejuſdem Civitatis Epiſcopus ordinatus, ſub Nerone ad radices Montis Piſani, poſt multos agones, Martyrium ſuum cum alijs ſocijs conſummavit.* Hæc autem ex varijs Martyrologijs hìc libentiùs congerere pla-

placuit, ut palam sit, D. Paulini gesta, quæ candidè exhibemus, non à communibus Ecclesiasticis tabulis dissonare, neque ab his, qui notationes addiderunt, improbari.

Acta Divi Paulini ex authentico producuntur, & variis Lectionibus, ac notis illustrantur.

CAP. XVIIII.

IIII. Idus Julij Passio S. Paulini Episcopi Lucani primi.

Postquam misericors, & miserator Dominus, de summa Cœli arce, in Uterum Virginis descendens, sua præsentia, & gloriosa Incarnatione, mundum visitare, atque illuminare dignatus est: Postmodum verò magnificus Triumphator ab inferis resurgens in Cœlum cum nostræ carnis substantia exaltatus est.

Hic incipiunt acta, quæ habuit Baronius, ut in notis ad Mart. tyr. 12. Julij.

Plurimi Reges terræ, & Principes fuerunt, qui Jesum Christum, Filium Dei, Verum Deum, & Salvatorem Mundi esse negantes, ejus Incarnationem, Crucis Passionem, & Mortem, ejusdemque Resurrectionem, & in Cœlis Ascensionem subsannantes fidem Summæ, & Individuæ Trinitatis penitùs annihilabant. Ex quorum impio, & nefando collegio Nero Imperator tanquam de pharetra Sathanæ prodiens, variis pœnis, & cruciatibus universos Dei cultores cœpit mirabiliter cruciare, ostendens eis diversissima genera tormentorum, ut quos præmijs, & suasionibus flectere non poterat, saltem pœnarum terroribus superaret. Eodem igitur Nerone

rone regnante in partibus Thuſciæ, in Civitate Piſana, præcipit idem ſibi templum fieri Dianæ, miræ magnitudinis, in ingreſſu Portæ Latinæ Civitatis Piſanæ in capite pontis fluminis Auſeris, & illud cum omni pulchritudine adornavit; juſſit, ut artifices ex auro mundiſſimo, & margaritis ſtatuam Dianæ facerent, quam per ſingulos dies adoraret. Tunc facta eſt ſtatua Dianæ, miræ magnitudinis, vultum, & oculos habens quaſi vivens; Quam juſſit Nero Imperator, cum magna veneratione, in vultu Templi cõfigi. Poſt multum verò temporis fecit fieri Cœlum æreum ſuper columnas marmoreas numero nonaginta; Cœlum autem juſſit, minutiſſimis foraminibus pertundi, & erat altitudo Cœli pedes centũ, & effundebatur deſuper aqua, ut videretur quaſi pluvia cadens in terram; Et tunc juſſit, manè lampades fieri in modum ſolis, & per Cœlum trahi, ut lucerent in die ad populum, qui erat ſub Cœlũ æreũ, & venientes ad Occaſum, extinguebantur; Et iterum hora undecima ſerò fecerunt ſimiliter ſpeculum pretioſiſſimis cum gemmis refulgens, clarum nimis in modum Lunę; & ante horam conſtitutam cecidit, & confractum eſt, ità quod, nec ipſa fragmenta invenirentur. Et ſic nocte juſſit quadrigam per Cœlum trahi quaſi tonans; Tunc miſit Dominus ventum validum, & projecit quadrigam in flumine Auſeris, & nuſquam comparuit. Alia autem die ſedens Imperator pro tribunali, & neſciens quod factum fuerat, dixit ad Populum: Cognoſcant omnes, quia magna eſt Diana, Mater Deorum, per quam & ego iſtas virtutes oſtendo: & miſit edictum per univerſas Provincias, ut quicumque Chriſtum colerent, vel etiam nominarent, niſi magnæ Deæ Dianæ thura ponerent, diverſis pœnarum terroribus, & cruciatibus ſubiacerent. Per idem

verò

verò tempus erat quidam vir christianissimus in eadem Provincia, in Civitate Lucensi, nomine Paulinus, qui à Beato Petro Apostolo fuerat Episcopus ordinatus, diebus, ac noctibus, vigilijs, & orationibus vacans, Christo quotidie sedulum exhibebat officium. Hic despectis hujus ærumnosæ vitæ negocijs, in eadem Civitate constantissimè prædicans multorum animos illustrabat, & quoscumque poterat, ab Idolorum cultura, ad agnitionem Summi, Veri, & Æterni Dei, & Domini Nostri Jesu Christi quotidie revocabat. Quid plura? tantam ei gratiam Dominus contulit, ut per prædicationem ejus, multitudo maxima virorum, & mulierum Lucani Populi Dæmonum squalloribus inretita, Jesu Christo Domino crederet, atque in Nomine Domini Baptismū salutis perciperet. In ipsa etiam Civitate cum Beatis Presbyteris Severo, & Antonio, quos quidem ipse Beatus Episcopus sacerdotes consecraverat, septem Ecclesias Domino dedicavit, & in eisdē Presbyteros, & Clericos, ne grex fidelium noviter ad Christum conversus Cęlestis verbi pane fatiscesceret, sanctissimè ordinavit; quod audiens Nero crudelissimus Imperator misit apparitores ad Lucanam Civitatem, ut invenirent Beatum Paulinum Episcopum, qui cum venissent ad prædictam Civitatem, invenerunt Beatissimum Paulinum Episcopum cum commilitonibus suis, scilicet B. Severo Presbytero, & Luca Diacono, atque Teobaldo milite, & multis alijs in Christo credentibus, in hymnis, & laudibus insistentes, in quadam cella Christianorum, quam idem Sanctus Episcopus ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, & Sanctæ, & vivificæ Crucis, atque ad honorem Intemeratæ Virginis Mariæ, Genitricis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & Sancti Stepha-

ni

ni Prothomartyris dedicavit, qui cum tenti fuiſſent, & ducerentur ante conſpectum impiiſſimi Cæſaris, dixit Beatus Paulinus Epiſcopus: Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte, qui me dignatus es cum Sanctis tuis Martyribus annumerare, & ait ad ſuos; fratres, & commilitones mei, jam vitæ æternæ participes viriliter eſtote, & minas, & impiorum terrores, qui ad tempus ſunt, nolite expaveſcere, ſed magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus invicem, inquiramus Dominum, & ex omnibus hujus mundi tribulationibus eripiet nos. Qui cum ducti fuiſſent ante conſpectum Neronis Cæſaris, ait ad eos: Quæ eſt iſta inſania, & ſtultitia veſtra, ut colatis hominem mortuum, & Crucifixum, ut invictiſſimorum Deorum culturam evacuetis, quibus reſpublica noſtra quotidie augumentatur, & creſcit. Reſpondit Sanctus Paulinus; non eſt inſania, ſed ſana doctrina, Idolis manufactis, ſurdis, & mutis, ſine ſenſu, et viſu, qui nec ſe, nec alios adiuvare poſſunt, abrenuntiare, & unum Deum Vivum, & Verum, Cœli, & terræ Factorem adorare, qui de Cœlis ad terram in Uterum Virginis miſericorditer deſcendens ex ea Verus Homo natus pro nobis flagellari, crucifigi, ac mori dignatus eſt, ut ſua morte, nos ad Vitam æternam, & Gloriam, quæ finem non habet, perduceret. Iratus autem crudeliſſimus Imperator, ait: Noli in jam plures ambages inferre, ſed cito ſacrifica magnæ Deæ Dianæ, ut illi, qui per te tuo Chriſto crediderunt, grata offerant Dijs libamina. Cui Sanctus Paulinus Epiſcopus reſpondit. Ego non ſacrifico Dæmoni, qui te, & ſuos cultores habet perdere in æternum interitum, ſed ſacrifico me ipſum hoſtiam immaculatam Domino Deo meo Jeſu Chriſto, cui ſervit in ſpiritu anima mea, qui Vitam Æternam in-

ſe credentibus præſtat, & Gloriam ſempiternam. Tunc crudeliſſimus Imperator juſsit eos tamdiu fuſtibus, & verberibus affici, quamdiu Idolis conſentirent, aut ſpiritum exhalarent. Qui cum diu crudeliſſimè cęderentur, defluebat ſanguis eorum in terram. Et aſpicientes in Cœlum Beati Martyres Chriſti, Paulinus Epiſcopus, & Severus Presbyter, cum Luca Diacono, & Theobaldo milite, dixerunt: Domine Deus omnipotens, Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui nos ad agnitionem tui nominis venire feciſti, benedicimus te Domine, quia dignos nos feciſti gloria tua, ut accipiamus partem cum Sanctis tuis Martyribus in Salvatore Chriſto, in reſurrectionem, & Vitam Æternam, & animæ, & corporis incorruptionem. Tu enim es verus Dominus, ideoque laudamus te per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Dilectum Filium tuum, qui vivit, & regnat in ſęcula ſęculorum. Tunc impiiſſimus Cęſar juſsit Beatos Martyres in yma carceris retrudi, nec cibi aliquid, vel potus ipſis exhiberi, niſi priùs Idolis conſentirent. Beati ergo Martyres Chriſti in hymnis, & orationibus perſiſtentes, gaudentes, & exultantes pſallebant Domino, & dicebant adinvicem: Propter hoc dilatatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quia non derelinquet Dominus animas noſtras in inferno, nec dabit Sanctos ſuos videre corruptionem. Poſt tertium autem diem ſedens Imperator pro tribunali juſsit Beatos Martyres Chriſti ante ſuum conſpectum aſtare, & dixit ad eos. Quid cogitatis circa ſalutem veſtram? Reſpondit Beatus Paulinus Epiſcopus, dicens: Salus noſtra, Chriſtus eſt, qui nos de tenebris ad lucem, de morte revocavit ad vitam, quem tota mentis intentione diligimus, venerari, & confiteri quo-

ti-

tidie non ceſſamus. Audiens hæc crudeliſſimus Imperator, nimio furore repletus dixit: Per ſalutem Deorum, niſi ſtatim magnæ Deæ Dianæ ſacrificaveritis, crudeliſſimis beſtijs vos ad devorandum tradam. Cui Sanctus Paulinus reſpondit. Stultiſſime rerum, cum credis nos à cultura Veri Dei, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti poſſe revocare? Jàm noli inferre minas, quas non timemus, ſed quęcumque vis, exerce tormenta; Nam corpus noſtrum paratum eſt ad omne ſupplicium. Tunc juſſit Imperator immaniſſimos Urſos, & Pardos valdè fame cruciatos mitti in Sanctos Dei; Quos cum vidiſſent Sancti Martyres Chriſti omni ferocitate, & crudelitate repletos, facto ſigno Crucis, aſpicientes in Cœlum dixerunt. Ne tradas beſtijs, Domine, animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem. Et ſtatim prædictæ beſtię, omni ferocitate depoſita, & manſuetæ factæ ſicut agni venerunt, & poſuerunt ſe ad pedes Sanctorum lingentes manus, & plantas eorum. Tunc inſaniſſimus Cęſar furere cępit dicens ad Sanctos. Quæ ſunt iſta maleficia veſtra, ut tam crudeliſſimæ beſtiæ, neſcio, quibus veſtris carminibus, converſæ ſint in agnos? Cui Beatus Paulinus reſpondit. Iſta, quæ tu vides, non ſunt maleficia, ſed ſunt beneficia Dei Omnipotentis, cui ſi rectè credideris, & pœnitentiam, de Sanguine Sanctorum, quem effudiſti, purè ipſi obtuleris, vitam adhuc poteris conſequi ſempiternam; Nam venti, & mare obediunt ei, & beſtiæ, ut vides, invocato Chriſti nomine, manſuefactæ ſunt. Quanto magis, Imperator, decet te Creatorem tuum cognoſcere, & illum ſolum adorare? Quod audiens Imperator, nimio dolore permotus ſtatim proſiliit è ſolio ſuo mittens eos ad Anolinum Comitem, dicens: Iſtos maleficos, & Deorum noſtro-

rum inimicos, ſine audientia, facias diverſis cruciatibus interire. Poſtquam comes accepit Imperiale præceptum, jubet eos in ferali carcere retrudi, donec excogitaret, quali pœna eos afficeret. Eadem nocte Beatus Paulinus Epiſcopus dedit orationem Domino, dicens: Domine Deus omnipotens, qui diſperſa congregas, & congregata conſervas, auge fidem in te credentium, ut Lucanus populus, qui per me, tuo Sancto Nomini credidit, augeatur, & creſcat, & Eccleſiæ, quas ad tuam laudem, & gloriam dedicavi, ſtabili robore, & firmitate conſiſtant, per te Jeſu Chriſte, Salvator Mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto es coeternus, & vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen. Cum hanc orationem compleſſet, apparvit ei Angelus Domini in ipſo carcere nimio ſplendore coruſcans, & ait: Pauline dilecte Dei exaudita eſt oratio tua; Cras enim per martyrij palmam Regi noſtro immortali animam reddes. Corpus verò tuum in Eccleſia Sanctæ Trinitatis, quam tuis manibus conſecraſti, erit ſepultum; Per te enim populus Lucanæ Civitatis augebitur, & te ibi exiſtente Patrono, Civitas illa manibus hoſtilibus nullo tempore deſtruetur, & ſtatim diſceſſit Angelus ab eo. Tunc Beatiſsimus Paulinus Epiſcopus egit gratias Omnipotenti Domino, dicens: Gratias ago tibi Domine miſericors Jeſu Chriſte, qui me per Angelum tuum viſitare dignatus es, & exaudire, & certum reddere gloriæ tuæ. Mane autem facto, juſſit iniquiſsimus Comes Anolinus Beatos Martyres Chriſti ante ſuum conſpectum adduci, & ſedens pro tribunali dixit ad eos: Sacrificate Dijs immortalibus, ne malè pereatis. Reſponderunt Sancti Martyres Chriſti, dicentes. Non ſunt Dij, ſed Dæmones, qui te, & Principem tuum habent perdere in æternum interitum.

Tum

Tunc Comes hæc audiens nimio furore repletus juſsit eos ſine ceſſatione fuſtibus cędi. Sancti verò Martyres Chriſti dixerunt ad Comitem; O' miſerrime, & ſine ſenſu, & ſeductor animarum, quoniam credis nos per tormenta tua recedere à Dei noſtri cultura; Habemus enim Jeſum Chriſtum Filium Dei, qui præſtat nobis virtutem. Tunc iniquiſsimus Comes fecit ei in triplum augeri tormenta. Tunc Beatiſsimus Martyr Chriſti Paulinus Epiſcopus dedit orationem in ipſis tormentis Chriſto Domino, dicens: Domine Deus Omnipotens, Creator omnium rerum viſibilium, & inviſibilium, qui me ad cognitionem tuæ veritatis venire feciſti, deprecor te, Pater Sancte, ſuſcipe ſpiritum meum modò, quia tempus eſt, ut jubeas me iſtud ſęculum derelinquere, & ad tuam miſericordiam pervenire. Hæc cum diceret Beatus Chriſti Martyr Paulinus Epiſcopus, ſimul cum Beato Severo Presbytero, reddiderunt ſpiritum Deo Creatori ſuo. Videns hoc iniquiſsimus Comes Anolinus dolore permotus eadem hora juſsit ibidem Beatum Martyrem Chriſti Theobaldum militem, cum alijs multis, capitalem ſubire ſententiam, & corpora eorum inhumata relinqui. Poſtmodum verò idem Anolinus miſſus Mediolanum Glorioſos Chriſti Martyres Nazarium, & Celſum, atque Gervaſium, & Protbaſium multis cruciatibus affectos decollari præcepit. Locus autem, ubi decollati ſunt glorioſi Martyres Chriſti, Lucas Diaconus, & Teobaldus miles, atque alij multi, non multum diſtat à loco, qui vocatur Latus biſtoria Leonum. Hoc audiens glorioſus Chriſti Confeſſor, & Presbyter ſenex Antonius venit noctu cum Beato Valerio, & Victore, Luciano, & multis alijs Chriſtianis, & rapuerunt precioſa corpora Sanctorum, & cum hymnis, & laudibus ſepelierunt ea noctu

ctu. Corpora verò Sanctorum Martyrum Paulini, & Severi, atque Theobaldi secretè mirificè sepulta sunt in sarcophagis mundis, & novis in Civitate Lucana in Ecclesia Sanctæ Trinitatis à meridie in parte Orientis. Alia verò sepulta sunt non multùm longè ab eo loco, in quo decollati sunt. Sed non post multum temporis ad Ecclesiam Sanctæ Trinitatis translata sunt, & ibidem mirificè sunt collocata. Martirizati sunt glorioſissimi Martyres Christi ad pedem Montis Pisani ab Anolino Comite, sub Imperatore Nerone, Quarto Idus Julij. Translatio verò Sanctorum est die Kalendar. Aprilis; Regnante Domino Nostro Jesu Christo.

Uariæ Lectiones, & additiones quædam Codicis Ecclesiæ Sancti Paulini adducuntur à Codice Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis S. Martini differentes.

Nullum habet Codex Ecclesiæ Sancti Paulini initio titulum, seu epigraphem, sed absolutè his verbis incipit. *Misericors, & Miserator Dominus &c.*

In Codice Ecclesiæ Cathedralis legitur. *quam jussit Nero Imperator.* In codice Ecclesiæ Sancti Paulini deficit vox *Nero.*

Codex Ecclesiæ Cathedralis habet. *Minutissimis foraminibus.* Sancti Paulini Codex, *minutis foraminibus.*

In Codice Cathedralis legitur *sub Cœlum æreum.* In Codice S. Paulini *sub Cœlo æreo.*

In Ecclesiæ Cathedralis Codice post illa verba *fuerat Episcopus ordinatus*, sequentia, quę legũtur in Codice Paulinia. no, omninò desiderantur *& ab Antiochia Romam ductus, & prout in quibusdam chronicis reperitur, ab ipso B. Petro Apostolo,*

in

in eadem Urbe Romana, cum alijs quatuor Episcopis consecratus videlicet, B. Apollinare, Beato Martiale, Beato Frontone, & B. Maximino; quem Venerabilem Patrem nostrum Paulinum Episcopum glorioſus Christi Apoſtolus præfatus his verbis Lucam direxit, dicens: Pauline, Serve Dei, vade Lucam, & annuntia verbum Dei, ut preeſſes ibi omnibus Episcopis. Ipſe verò diebus, ac noctibus &c.

Deficiunt in Codice Pauliniano verba iſta, *quos quidem ipſe Beatus Episcopus ſacerdotes conſecraverat, ſeptemque &c.* ſed adiecta ſunt in margine eodem ferè caractere.

In Cathedralis membranaceo Codice habetur, *et Sancti Stephani Prothomartyris dedicavit.* In Sancti Paulini, *& S. Stephani dedicavit.*

In codice Cathed. fortaſſe levi aliquo ſcriptoris errore legitur. *Noli in jàm plures ambages inferre.* In Codice Eccleſiæ Sancti Paulini. *Noli in m. plures ambages inferre.*

In Codice Canonic. Cathedr. *Tu enim es verus Deus, ideoque &c.* Deeſt in Codice Pauliniano, *Deus.*

In codice Cathedralis, *& manſuetæ factæ ſunt ſicut agni.* In Codice Sancti Paulini, *& manſuetæ ſitut agni.*

In codic. Cathedr. *Ceſar furere cœpit dicens ad Sanctos.* In Sancti Paulini. *Ceſar nimio furore repletus ait ad Sanctos.*

In Eccleſię Sancti Paulini Codice rubris caracteribus interpolatur continuanda lectio, inſertis his verbis, *Oratio Beati Paulini Epiſcopi*, & interiecta magna litera D. varijs coloribus picta, ſequentis initium orationis, *Domine Deus omnipotens &c.*

Co-

Codicis Cathed. verba habent. *Corpus verò tuũ in Eccleſia Sanctę Trinitatis.* Sancti autẽ Paulini Codex. *Corpus verò tuũ in Civitate Lucana in Eccleſia Sanctæ Trinitatis.*

In Codice cathedr. *populus illius Civitatis augebitur.* In codice Sancti Paulini. *populus Lucanæ Civitatis augebitur.*

Cathedralis codex habet *manibus hoſtilibus non deſtruetur* Sancti Paulini verò, *manibus hoſtilibus nullo tempore deſtruetur.*

Codex Cathedralis retinet. *ſine ceſſatione.* Codex Paulianus *ſine ceſſationibus.*

In Codice Cathedralis. *In ipſis tormentis Chriſto Domino dicens.* In codice Pauliniano deficit. *Chriſto.*

In Codice Canon. Cathed. *cum Beato Severo Presbytero.* In Codice S. Paulini non legitur *presbytero.*

In Codice Cathedr. ſcriptum invenitur. *Latus Yſtoria Leonum.* In Codice Pauliniano. *Lacus Yſtoriæ Leonum.*

Legitur in Codice Cathedralis. *Senex Antonius venit noctu cum Beato Valerio.* In codicis Pauliniani margine parũ diſſimili caractere poſt verba Senex Antonius additur, *qui tunc in Montibus, qui ſunt inter Lucam, & Piſas vitã agebat ſolitariam, venit cum &c.*

In fine Codicis Eccleſiæ Sancti Paulini poſt ea verba *Domino noſtro Jeſu Chriſto*, quibus deſinit Codex Canonic. Eccleſiæ Cathedralis, ſuperadduntur iſta, *cui eſt honor, & gloria, virtus, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Tu-

Tumultuariæ notæ, quæ remanſerunt imperfectæ, in Acta Sancti Paulini.

NERONEM miranda ſemper ſectatum, & ſupra captum hominum, ex multis elicere poſſumus. *Gladiator pugnas ſpectabat ſmaragdo*, inquit Plinius, eadem, qua ſpeculo ratione, ſupino nempe imagines reddente, *& ſceptra, & perſonas, & cubicula viatoria unionibus conſtruebat.* Lib. 37. c. 5. Lib. 37. c. 2.

Artaxatam Urbem Armeniæ Majoris Neronem inſtauraſſe habet Xiphilinus in Nerone.

Thermas Romæ conſtruxiſſe, quæ mox Alexandrinæ appellarentur, ſcribit Eutropius. Lib. 7. breuiarij.

Apertiùs Tacitus de mirandis per Neronem conſtructis, ait: *Magiſtris, & machinatoribus Severo, & Celere, quibus ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis illudere.* Sed expreſſiùs alibi: *Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor l. c. &c.* Ann. 15.

. . . . . .

Dianã, non aliud eſſe numen, quã Deę Syrię plures docent. Hujus ferè ad tempus detectæ coniurationis cultorem fuiſſe his verbis habet Suetonius. *Religionum uſquaque contemptor, præter unius Deæ Syriæ. Hanc mox ità ſprevit, ut urina contaminaret alia ſuperſtitione captus, hoc eſt, cujuſdam icunculæ puellaris, quam, detecta confeſtim coniuratione, pro ſummo numine, colere perſeveravit.* Cap. 56.

Lucianus, dùm de Dea Syria varias recenſet opinio-

nes, Templum habere in Phœnicia refert, in quo ſub Aſtartæ nomine colatur, quibus addit, Mycillo interprete, *Aſtartem autem ego puto Lunam eſſe*; & infra, dùm etiã
Tom. 3. Junonem intelligi putat, narrat, ſimulacrum illud habere *quidpiam Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ &c.*

Lib. 10. Sed Apulejus Luciani ſectator Iſidem Lunam eſſe clariſſimè tenet, dùm eam invocat ſub Lunæ nomine, & Dianam, Dictymnam appellari aſſerit. Inre patenti non morabor.

Sanctus Maximinus Epiſcopus Aquenſis non fuit ante Paulinum, nam, ut habet Sanctus Antoninus Par. 1. Tit. 6. cap. 49. §. 1., non ante regreſſum Principis Maſſilia, Romã, ubi Petrus aderat, fuit factus Epiſcopus. Videndum Martyrologium Gallicum. Paulini nomen frequens: nam tunc Paulinus judex Ravennæ, qui Sanctum Vitalem . . . . ſepelirí fecit cap. 25. D. Ant. l. c. Paulinus Suetonius, qui vicit Britannos anno Neronis 7. Chriſti 63. ex Tacito lib. 14. Baronius ibidem. . . .

. . . . . .

Anolini, ſive Anulini nomen Chriſtianis ferale. Non enim tantùm Neronis tempore præfectus adverſus Chriſtianos carnificinam exercuit, ſed & temporibus Maximini Imperatoris alius ejuſdem nominis præfecturam Prætorij exercuit ſub ſœviſſimo Principe, de quo Julius Capitolinus in Maximino filio. Alter etiam Anolinus ſub Aureliano, & Gallieno Imperatoribus memoratur in Actis Sanctarum Maximę, Donatillæ, & Secundæ. Quartus deni-

denique, Diocletiano, & Maximiano imperantibus, in Africa adverſus Chriſticolas dirum munus exercuit, ut plura Sanctorum Martyrum acta teſtantur. Hujus meminit Optatus Milevit. lib. 3. adverſus Parmenianum, & Sanctus Auguſtinus ſæpius adverſus Donatiſtas; Hunc, cujus hìc eſt mentio, eumdem eſſe cum eo, quem ſub rabie Neronianæ perſecutionis Nazarium, & Celſum puerum martyrio coronavit, Romanum, & ferè omnia alia Martyrologia teſtantur. Quod verò in actis Sancti Nazarij apud Metaphraſtem Italiæ Præſes dicatur, hìc autem Comes appelletur, novum non eſt. Nam & qui Gervaſium, & Prothaſium eodem fere tempore obtruncavit, Comes Aſtaſius dicitur, ſicuti Flaccus, qui Petronillam Virginem deperibat, Comes dicebatur in actis Nerei, & Achillei. Ante Conſtantinum, comitis nomen ſignificare Prefectorum, & Præſidum jàm aſſeſſores, qui jus dicerent, docuit Baronius eruditiſſimè ad diem 31. Maij, qui etiam prius Præſidis, & Præfecti nomina impropriè uſurpata, & confuſa dixerat ad diem 27. Maij. . . . . .

. . . . . .

Fortaſſe quod Baronius de Sancto Donato Epiſcopo, & Martyre docet ad ſeptimam die Auguſti, accidit, *ut antiqua imaginis forma, raſa barba (more majorum) depicta deceperit, ut junior videretur* ad diem 7. Auguſti. . . . .

. . . . . .

In aliquibus ex noſtris chronologis invenio ingreſſum fuiſſe Lucam Paulinum per Portam, quæ tunc

Pisana dicebatur, & mox Sancti Petri appellata fuit.

Laurentius Trenta, & Massatij Repertorium apud S. Pontianum.

Antequam enim Sanctus Episcopus Lucam ingrederetur, per aliquot dies mansisse ajunt domi cujusdam Laij Hortulani propè eamdem Portam. Postquam verò Urbem sacris undis lustrasset, domum eamdem in Ecclesiam consecrasse perhibent, in honorem Divi Petri, & Virginis Immaculatæ; in qua prima ejusdem Virginis imago extitit depicta manu Petri Pisani anno Domini 48. die 14. Septembris.

Unde verò hæc hauserint, me fateor ignorare. Extant hæc in mss. libro, qui continet vitas, & Martyrium 36. Sanctorum; ex his duos Valerium, & Victorem Martyres fuisse, nec Lucianum difficile est credere.

Fallitur Ferrarius, qui putat corpus Sancti Paulini fuisse sepultum à Diva Lucina Matrona, quæ Lucæ colitur, & cum ex passione D. Paulini hæc colligere Ferrarius asserat ad diem viginti Junij pag. 268. quam historiã habuerit, me nescire fateor.

In-

Incipit Inventio Corporum Sancti Paulini, & Sanctorum Severi, Theobaldi, & sociorum ejus. Ex codice Sancti Paulini.

CUM veritas occultata omninò credimus Deo non placere, & specialiter verum illud propter quod possunt homines hujus mundi salutem consequi animarum. Idcirco ad laudem, & gloriã Santissimæ Trinitatis, & Beatissimæ Virginis glorioſæ, & totius Cęlestis Curiæ de miraculis sanctissimi Paulini primi Lucani Episcopi, quæ miracula sunt facta post inventionem corporis glorioſi, volumus aliqua enarrare. Sed antequã in ulterius procedamus dignum est, ut de ejus inventione aliquid nuncupetur. In anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo XVII. Calendas Julij. Erat quidam religioſus cujus nomen frater Jacobus dicebatur in Civitate Lucana, homo maximæ sanctitatis, & boneſtatis, magnæ conversationis, & vitæ. Cui Dominus voluit revelare corpus Epiſcopi ſupraſcripti tali modo. Erat iſte frater Jacobus homo maximæ abſtinentię, & ab oratione die, noctuque minimè ceſſabat. Contigit ei in quadam nocte cum in oratione valdè devotiſſimè inſiſtebat, oculos inclinavit, & à ſopore fuit mirabiliter occupatus. In quo ſomno apparuit ei quidam juvenis, & dixit ei. Pater Jacobe benedicte, ſurge velociter, & ad Eccleſiam Beati Antonij citius properas quantum vales. Et dicas ipſius Eccleſiæ ſacerdoti, ut devotè, & ſolemniter celebret unam Miſſam ad honorem Beatæ Virginis glorioſæ, & tu eſto ibi cum magna devotione, & ad illam Miſſam erit enim vobis oſtenſum oſtentione divina, ubi jacet corpus

Pau-

Paulini Martyris glorioſi. Fuit enim Beatus Paulinus cariſſimus, & devotus glorioſæ Reginæ Cœlorum. His dictis exparuit. Frater verò Jacobus ſurrexit, & omnia ſecundum ammonitionem ſibi factam presbytero Pagano Cappellano dictæ Eccleſiæ nuntiavit, & ordinavit, ut Miſſa celebraretur. Cum Miſſa à dicto presbytero Pagano diceretur, & eſſet corpus Chriſti glorioſum elevatum, iſte frater, erat in choro, & in terram velociter ſe projecit, & cum in terra ſe proſtraviſſet, fuit ſibi ex dextro latere nuntiatum, & dictū. Corpus Beati Paulini eſt juxta humerum tuum dextrum, & ibi quia duobus brachijs eſt propinquus fodetis, & ibi eum invenietis. Frater vocem audivit, ſed neminem vidit, Miſſa ſolemniter celebrata, frater omnia dicto presbytero Pagano enarravit. Dictus verò ſacerdos venerabili Enrico Epiſcopo cum fratre Jacobo omnia nuntiavit; Et accepta licentia ab Epiſcopo, jejunaverunt tribus diebus cū abſtinentia, & devotione, & magna oratione, poſtea verò foderunt ſecundum ammonitionem ſibi factam à Jacobo ſupradicto in Eccleſia Sancti Antonij januis clauſis, & fuerunt novem inter religioſos, laicos ad fodendum. et Et ſic fodendo erant quaſi juxta veſperas propter magnam laſſitudinem poſuerunt ſe ad dormiendū. Iſte frater Jacobus cum magno dolore ivit ad adorandum ſubter pilam ubi erat corpus Beati Antonij & cum maxima anguſtia ſic dicebat. Domine, non invenimus theſaurum promiſſum, & deſideratum, & orando aliquantulum obdormivit, & in illa dormitione apparuit ei Juvenis pulcherrimus, & decorus, & dixit ei. Frater Jacobe quare non foditis? & ille reſpondit. Domine, per totam die laboravimus, & ſumus fortiter fatigati, & nullo modo poſſumus invenire, & ille juvenis dixit ſurge, & fode in nomene Jeſu Chriſti, quod

que-

queritis, cito invenietis. Surrexit frater Jacobus, & narravit iterum presbytero Pagano visionem. Et iterum cęperunt fodere, & sic fodendo, & laborando omnes, qui erant in Ecclesia, de odore suavissimo sunt refecti, & ab omni fatigatione quasi totaliter remoti, & liberati. Post vesperas autem fodendo invenerunt marmoreum monumentum, & sic scriptum. Hic est corpus Beati Paulini primi Lucani Episcopi, & discipuli Petri Apostoli, & Sanctorum martyrum Severi presbyteri, & Theobaldi militis; Et de tanta gloria eis concessa omnes mirabiliter sunt gavisi, et juxta monimentum tangendo odor mirabilis per totam portam Sancti Donati exivit. Currebant omnes de Civitate gaudentes, et exultantes. De tanta gloria eis concessa. Presbyter verò cum dicto fratre, et cum vicinis dictæ contractæ, et cum omnibus nobilibus Portæ Sancti Donati ad Episcopum velociter cucurrerunt, et omnia, quæ facta erant cum diligentia narraverunt. Episcopus verò, habito consilio cum Canonicis suis, et cum fratribus prædicatoribus, et minoribus personaliter ipse cum Archipresbytero Alamanno, et Aldibrando primicerio, Gualtrotto Canonico, et Paganello, et cum multis alijs de Canonica Sancti Martini Ecclesiæ majoris, et cum fratre Aldebrandino de Cavalcantis Priore fratrum Prædicatorum Sancti Romani, et de suis fratribus, et cum fratre Bencivenne Custode fratrum minorum, et de suis fratribus, et cum multis alijs venerunt ad Ecclesiam supradictam, et cum hymnis, cantis, cereis, et incenso aperverunt glorioſum monimentum, et invenerunt glorioſum, et odoriferum corpus Beati Paulini Martyris cum socijs suis supradictis. Unde valdè letati sunt cum tota Civitate Lucana, et lętari possunt de tanto, et tali Patrono, qui quotidie orat, et supplicat Deum omni-

nipotentem pro ſalvatione, & augmentatione filiorum ſuorum. Ordinaverunt ſolemniſſmam proceſſionem, ubi fuerunt pluſquam quingenti inter religioſos, et Clericos ſeculares, et fuerunt ibi pluſquam XI. vexilla, et præſentialiter fuit Dominus Guala Legatus Domini Papæ, et Epiſcopus cum omnibus ſupradictis. In veritate dicere poſſumus, quod fuerunt ibi cum Domino Guiſcardo de Petra Sancta de Mediolano potestate Lucanæ Civitatis, erat enim potestas Lucanæ Civitatis illis diebus, pluſquam quinquaginta millia inter homines, & mulieres, audiverant ſicuti continetur in legenda ejus; quando iſte venerabilis Paulinus fuit primus pater, primus Epiſcopus iſtius Civitatis, & diſcipulus Beati Petri Apoſtoli, & à Beato Petro Apoſtolo ad iſtam Civitatem Epiſcopum fuiſſe miſſum. Et quomodo iſte prædicavit, & fidem plantavit, & Lucanum Populum fideliter baptizavit. Et quando dulciſſimè iſtam Civitatem dilexit, & pro ipſa fortiter oravit, ut Dominus Populum Lucanum augeret, & in unitate ſine diviſione eum conſervaret, & de heretica pravitate eum liberaret, & Civitatem de manibus inimicorũ perpetuũ eam defenderet, undè venerandus eſt iſte talis pater, & propter infinita beneficia ſpiritualia, temporalia, quæ pro ipſo habemus. Eſt enim in Cælo continuus Lucanæ Civitatis defenſor, & advocatus. Et animæ, quæ de iſta Civitate ſalvantur ipſe Deo quotidie repreſentat ſicut fructus ſuæ vineæ, quam plantavit.

Incipiunt Miracula Sancti Paulini Epiſcopi, & Martyris.

SI de miraculis ſuis dicere volumus unum de mille minimè ſcribere poterimus, ſed aliqua dicemus ad confirmandam ipſius glorioſam inventionem.

In die proceſſionis ſuæ, ſicut ipſi retulerunt nobis in virtute Dei pluſquam IX. infirmi ſanati ſunt de diverſis infirmitatibus; erant enim poſiti ad balchiones, & ſtatim cum videbant glorioſum corpus cum proceſſione ſanabantur.

Inter quas fuit quædam Domina Maria, quæ habebat filium paraliticum per tres annos, poſuit eum ad balchionem, & ſtatim puer per ſe ſanatus ſurrexit, quædam alia revertente proceſſione, erat enim cæca per tres annos, lavavit ſe de aqua, ubi erat miſſum brachiũ Sancti Paulini, & ſtatim vidit. O quanti cæci, O quanti paralitici ſanati ſunt, dicendo veritatem in virtute Dei in anno illo, pluſquam quingenta corpora ſanata ſunt de omnibus infirmitatibus; accipiebant de marmore, ubi jacuit corpus Beati Paulini ſtatim ſanabantur.

Item duo fratres erant in Lombardia in uno carcere poſiti, & capti recommendaverunt ſe Beato Paulino cum lacrimis, & devotione, nocte veniente invenerunt carcerem apertum, & exierunt.

Item quidam alius de Garfagnana veniebat de Lombardia, fuit enim captus à veſpilionibus, ligaverunt manus, & pedes ejus, & querebant ab eo pecuniam, ille verò recommendavit ſe Beato Paulino cum devotione magna, erant illi ſex, qui cuſtodiebant eum, ſi

cuti placuit Deo, omnes obdormierunt, & venit quidam juvenis, & absoluit eum à vinculis, & liberatus est.

Item quidam de plebe Sancti Stephani habebat crus suum fortiter inflatum, medicus percussit eum cum ferro, in percussione illa ille vovit se Beato Paulino, & promisit implere omnes lampadas Ecclesiæ suæ de oleo suo. Medicus post percussionem fasciavit eum, alia verò die voluit eum iterum curare, invenit eum sanum, & nullum signum incisionis habentem, ubi incisus erat.

Quædam Domina habebat maximam infirmitatem per multos dies in oculis suis, venit cum devotione magna ad Ecclesiam Sancti Paulini, & lavavit oculos cum aqua, ubi fuit missum brachium S. Paulini, & statim sanata est; benedictus Deus.

Fuit quidam homo, qui vocabatur Jacobus de loco, ubi dicitur alle mura, contempta festivitate Beati Paulini, in die Sancti Paulini junxit boves suos, & ibat ad laborandum, dùm iret per viam bonam, & planam unus illorum boum extorsit pedem suum dextrum, & quasi fracto suspendit bos pedem à terra, & nullo modò valebat eum ponere in terra. Ille rusticus, ut vidit, vociferando plorabat, & dicebat. O Deus, & quare, & quando amisit bos meus pedem suum, nescio quomodo, O Deus, mortuus sum quia nihil aliud quasi habebam. Et cucurrerunt omnes de Domo sua ad plangendum cum eo, & sic plangendo in illa via apparuerunt duo religiosi cum vestimentis albis, unus de istis dixit ei. Frater quare sic ploras? Et ille respondit, non videtis quoniam ego amisi pedem bovis mei, & nescio quoniam. Et ille religiosus respondit. Noli flere, Dominus sanabit eum, consulimus tibi, quòd tu nunquã habeas in contemptu festum gloriosum Beati Paulini patris tui, sed honora eum toto tem-

tempore vitæ tuæ. Et ſignavit eum, & ſtatim ſanatus eſt, & diſparuerunt, & amplius non viderunt eos.

Quædam Domina de contrata Sancti Allexandri cujus nomen dicitur Domina Genovefe ſub fide Sancte Chriſtianitatis dixit Priori Sancti Allexandri, & mihi presbytero Pagano Sancti Paulini. In illis diebus quando fuit inventũ corpus Beati Paulini, ego habebam filium unicum, cariſſimus erat mihi, accidit, ut infirmaretur, & gravaretur à morte de peſſima infirmitate, cuſtodivi eum pluſquam per unum menſem, quadam verò nocte ego triſtis, & timida, & expectabam, ut ſpiraret. Et ego ſubitò ſpirata à Deo poſt matutinum in aurora diei, ità fuit mihi dictum in ſpiritu. Accipe filium tuum, & porta eum ad illud corpus glorioſum Beati Paulini, Dominus reddet eum tibi. Et ſtatim accepi eum nudum, & poſui eum in gremio meo, eram enim ego ſine ſenſu, & ſine clamide portabam eũ ad Eccleſiam Sancti Paulini; cum ego fui in curia Beati Allexandri, ego vidi eum finitum ſpiratum, & mortuum. Et ſteti aliquantulum ibi, & verè inveni eum mortuum, & ſpiratum, & dicebam infra me, quid faciam, & quaſi ſine ſenſu accepi eum: & ſubito ſpirata portavi eum apud Eccleſiam Sancti Paulini; ſacerdos non erat in Eccleſia in illa hora, erat in Eccleſia unus puer, & ego dixi ei, ubi eſt corpus Beati Paulini? & ille indicavit mihi; Et ego accepi filium meum nudum, & mortuum, & poſui eum ſuper illam pilam, ubi erat corpus Beati Paulini, & dimiſi eum, & projeci me cum capillis extenſis in terra proſtrata, & amariſſimè flebam, percutiebam pectus meum, & dicebam. O' Deus tu benè potes reddere mihi filium meum, ſi tu vis propter amorem iſtius glorioſi Martyris. Nunquam me hinc elevabo, hìc moriar, niſi eum

mihi reddideris, ſic dicendo, & flendo ſtabam, & non recedebam, nec filium meum tangebam.

Dùm ſic ſtarem, ego accepi eum, & poſui in gremio meo, & iterum erat mortuus, ego autem amariſſimè flebam, & poſui me juxta altare ad ſedendum cum filio in gremio meo, & plorando dicebam. Nunquã hìc me elevabo, hìc moriar niſi reddideris mihi filium meum ò gloriosè Martyr, & ſic ſtando, & plorando vidi faciem ſuam, quæ pallida erat, rubeam venientem. Ego fortiter clamavi, o Beate Pauline redde mihi filium meum, ipſe ſtatim aperuit oculos, & revixit. Ego autem miſi mammillam in os ejus, & accepit, & glorificavi Deum, & Martyrem glorioſum, qui talem fecit mihi gratiam, ipſa enim die ivit per contradam, erat enim ſexta feria, ac ſi nullum malum habuiſſet, & omnia iſta pluries interrogata ſub fide Sanctæ Trinitatis affirmavit.

Quædam nobilis Domina Filippa de contrata Sancti Paulini cũ magna devotione ad prædictã Eccleſiam venit, et presbyterum Paganum ipſius Eccleſiæ Rectorem vocavit, & dixit ei. Promitto Deo, atque Beato Patrono noſtro Paulino, & votum in manibus veſtris facio, quod ſi Dominus meritis Beati Paulini filium meum Lazarium, qui Senis tenetur in vinculis reddiderit, quòd ego toto tẽpore vitæ meæ feſtum faciam omni anno, primo ejus feſti vigiliam jejunabo, ſecundo diem feſtum celebrabo, ac quatuor ſacerdotibus eos ſollemniter reficiendo in ipſa feſtivitate Beati Patris noſtri Paulini. Et ſimiliter ardere faciã unã lanpadem ante glorioſum ſuum ſepulchrum, & ſic cum lacrimis voto facto receſſit. Ille autem, qui devotiones cordium noſcit, deſiderium ſuum adimplevit, & ante quã feſtum Beati Paulini veniret, miraculosè dictum Lazarium ejus

fi-

filiũ de carcere liberavit. Cum enim in carcere eſſet cum multis, ipſe ſolus per exportellum exivit, cuſtodes carcerem cuſtodientes, nullus eum vidit, nec impedimentum præſtavit. Et cum letitia reverſus ad Civitatem Lucanã in Eccleſia Beati Paulini gratias multas cũ dicta ſua Matre, & multis alijs ſuis parentibus Deo, & Beato Paulino reddit, & dicta Domina votũ ſuũ adimplevit ad laudẽ, & gloriã Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit, & regnat in ſęcula.

Incipit vita Sancti Antonij Eremitæ, cujus corpus, in Eccleſia Sancti Paulini requieſcit.

Ex Codice hædino S. Paulini.

AD laudem, & gloriam, & honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, pariterque honorem Sancti Antonij Presbyteri, & heremitæ, ſuique Sancti nominis perfectũ, noſtraque ſemper hilaris proſequatur diſcretio. Cum noſtræ vitæ curſus ſit quidem valdè puſillus, & caro noſtræ mortalitatis paulatim exareſcat: tunc tremit effecta corpore laxa cutis. Ait enim Pſalmiſta. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & ego ſicut fœnum arui, quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Vapori ergo ſtipulæ imaginatur omnis gloria terrenorum. Vita hominum pro umbra evaneſcit, necnon humana conditio protoplauſti rubigine maculata ſubiacet vanitati. Cujus rei cauſa vanitas eſt omnis homo vivens. Qui dictus homo, quando ortus eſt de humo, ymo de limo formatus, compellitur ſuo generi pro tempore reſpondere, quare homo in humum ci-

Sermo hic potius dicẽdeus eſt, quã vita, & poſt annum milleſimum ducẽteſimũ, quo inventum eſt B. Antonij Corpus omninò ſcriptũ

*cinis in cinerem tanquam ad ſpeciem ſui generis revertitur, & addicit, ut reſurgat, & reſurrectionis gratia renovatur. Non itaque mors hujus ſæculi eſt nuncupanda, ſed tranſitus jucundiſſimus, qui fit de morte ad vitam, quatenus expellatur omne Dominium tenebrarum. Audite Cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei, vir inſipiens non agnoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: Exultate itaque juſti in Domino, ſed cum tremore confidenter in bonæ operationis propoſito perſiſtatis, ſed cum cautela, ne hoſtis ille antiquus adverſus vos poſſit in aliquo maligniter prævalere, qui latitat in occultis, quo poſſit interficere non merentem, verùm potius per honeſtæ converſationis, & humilitatis viam ſtudeatis dirigere greſſus veſtros in viam pacis, ut cum Sanctis ſuis, & virginibus electis introire ad cœleſtis ſponſi nuptias penitùs valeatis. Cum intra divinæ theologiæ imperia propoſitum ſit nobis, ut intueatur altiſſimum quatenus ſociorum corpora quaſi ſemi-viva cum intimo cordis affectu jugiter teneamus venerari, ac colere in terris. Beati Antonij corpus intendimus, & veneratione congrua colere, ac colendum proponere univerſis. Quapropter in cordis gremio noſtræ devotionis circa ejus beatitudinem in tantum pullulavit, & ſedit affectus, quod vobis Chriſti muneribus refocillari optantibus, * . . . . . deberemus intimare præconia illius, veruntamen ſub brevi loquendi ſtilo quidquid de inſtantia vitæ, pariterque morum compoſitione antiqua veridicum relatione, ac rerum experientia didicerimus, nitimur ſeriatim enuntiare nobis ſumatenus, ut laus ejus benevola in ore veſtro creſcat, & veſtræ operationis merces favente Domino non deficiat. In divinis quidem hyſtorijs duos Antonios fu-*

* Non benè percipitur in mſſ. codice verbum hîc deficiens, & videtur poſſe interpretari *ſerie literarum*.

Non à puericia, ſed ab adoleſcentia, qui cũ ſenex fuerit fuerẽte perfecutione jã primo

fuiſſe legimus, quorum alter beatus iſte Antonius à crepundijs ſuæ ætatis divinis eloquijs emancipatus, & morum honeſtate luculentus, ſub Neronis tempore, & Petri Apoſtoli in fide Chriſti ſolidatus, verus Iſraelita extitit, & prædicator. Nam os ſuum favum propinabat doctrinæ, & lex clementiæ, nec non & pietatis erat in lingua ipſius. Nequaquam inefficacia, & vana loquebatur, ſed ejus ſermo ſale conditus ſanabat, & reficiebat auditores ejus. Cumque hujuſcemodi vitam ſuam eligendo hujus ſpinoſa gaudia mundi contemnens, in territorio Lucano ſtadiorum quinque ſpatio ab Urbe diſtante in monte prænominato Tiſano cellulam ſuam, & Eccleſiam edificavit in Chriſti obſequijs valituram, quę utique Eccleſia, & locus uſque modò Beati Antonij ſingulari nomine nuncupatur. In quo celibem diù protelando, & deducendo heremiticam vitam dulcia ejus acta ineffabilis finis, & exitus valdè collaudant. Quoniam à laſcivis convitijs ſuum corpus acriter privabat parum loquens in hebdomada; obtutibus hominum raro ſe ipſum repreſentabat. Verùm cęleſtia dona aſpirans ſemper devotè lugendo conſolationem æternæ vitę à ſuo figulo exigebat, & deſiderabat, ut idem Dominus exaudiret illum. Nam Beatus verò Antonius, cujus feſtivitatem hodie colimus, divino ſpiritu indutus, & gratia Chriſti repletus, ubicumque in Thuſcia, alibique Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum corpora inveniret malè, & ineptè ſepulta, accipiebat illa, & deportabat in Lucanam Civitatem ad locum ſepelienda, qui tunc vocabatur temporis, Sanctorum cellula. In qua multa, & innumerabilia ipſe ſepelivit, ſpetialiter ſepelivit in hac Eccleſia Corpus Beati Paulini primi Lucani Epiſcopi, qui fuit Diſcipulus Beati Petri Apoſtoli, qui tot, & tanta

ſtatim ad Lucenſem Urbem Paulini adventu converſum fuiſſe convincitur, ſed vereor ne hìc decipiatur author, cum enim jàm ſenex vocetur in ſepultura S. Paulini, qui ſub Nerone paſſus eſt.

S. Antonius incolebat eam Montis partem, quæ Lucam reſpicit, & a qua illa, quæ dicitur lacus hiſtoriæ Leonum.

Hęc nõmodo de Neroniani temporis perſecutione intelligẽda ſunt, ſed de ea, quæ ſub Domitiano, & deinceps.

ta beneficia à Deo pro Lucana Civitate impetravit. In qua namque Ecclesia multa sepellivit Sanctorum Martyrum, & Confessorum corpora B. Antonius splendida. Aliquando enim per totam Thusciam Sanctorum corpora recolligebat, & cum magna devotione, & laude ad Lucanam Civitatem in Ecclesia, quæ tunc Sanctæ Trinitatis vocabatur, & modò Sancti Paulini nominatur ea sepeliebat. Aliquando enim cum Beato Paulino prædicabat, & baptizabat, & in omnibus actibus suis valdè ordinatus erat, & Deo, & hominibus mirabiliter placebat. Quare pro ipsius dignis operibus revelavit coram populo multa miracula Deus. Fuit ergò quodam in tempore cum Nero impiissimus, & severus persecutor Christianorum Imperator suum infelix prosequeretur imperium Tisis, Christi fideles in divinis obsequijs emancipati vitam ducentes propter nimiam Neronis crudelitatem, atque sçvitiam corporis cruciatum jugiter pertimescentes, non solum ipsum, sed & nomen ipsius undique fugiebant clandestinè. Letamini igitur hortando in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde. Quoniam qui prçire timet, & salvari desiderat ab unitate Ecclesiæ non recedat. Quamobrem cum iste Imperator Nero crudelissimus, in suo quam plurimos palatio haberet milites, & in ejus imperio strenuos atque fideles, de quorum collegio erat Turpis nomine doctrinæ, & sapientiæ omninò vir magnus, & prudens iste Torpes Neronis consiliarius, & totius maximè palatij archimandrita omnium militum dominabatur auriga. Qui nimia severitate pollutus ad Christianos delendos pariter & cruciandos die, noctuque pro ut Saulus postea nomine Paulus auspice domino nitebatur. Dictũ est per psalmistã. Diverte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & prosequere eam.

Lego distincte aliqua ne pugnent cũ actis S. Torpetis

In margine minori caractere, sed antiquo Torpes.

As-

Aſcendit tandem in illum Turpem Sancti ſpiritus ignis, qui illius vitiorum exarſit rubiginem, & ſuæ pietatis continuam dedit virtutem, qui tyrannica feritate depoſita, & Neronis, ejuſque complicum conſortia reſpuens, nec non perfidum deponendo errorem, à Beato Antonio in pede montis in quo morabatur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, baptiſmatis unda fuit renatus. Laudabat ergo patrem, & benedicebat filium, qui ſuum lumen ſacrum radiavit in illum; Cujus radijs ſolis non ex ſuis meritis, ſed ſingularis ſuæ potentiæ gloria factus luculentus vaporabat pervenire de bono in melius, quatenus valeret vocem Chriſti audire, & ſedere in dextra patris in die noviſſimo ejus, de cujus conſortio lętantur Angeli in Cœlis, fidelium turba gloriatur in terris.

In margine Codicis S. P. minori caractere. *Torpetem.*

Fortaſſe *laborabat.*

Cumque vetuſtas temporis communem agonem mortis Beato Antonio præberet, de hac flebili mundi vita, & inope valle, atque miſeria ad celeſtem gaudij palmitem felici vocatione cum pijs fructibus migravit ad Dominum. Cujus autem glorioſum corpus cum hymnis, & laudibus in eadem cellula fuit ſepultum. Quæ Sancti Georgij Baſilica hodie verè nomine nuncupatur in qua Beatus Antonius conſueverat ſepelire Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum corpora multa. Tandem cum per multum temporis luſtrum, odoriferum corpus Beati Antonij in gremio terræ eſitatum moraretur ſepultum, itaque memoria hominum penè vetuſtate lapſa poſt terga, ab hominibus haberetur neglectum. Tunc apparvit cuidam Civi Lucano nomine Alberto in viſione, quod corpus Beati Antonij presbyteri, & Eremitæ in Baſilica Beati Georgij cum acie Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum requieſcebat, & Virginum magna. Et cum iſta mentem Alberti in nocte ſępe ſępiùs verberaret viſio, à

Obijt ergo ætate confectus S. Antonius.

Dici nequit hanc eamdē eſſe Eccleſiā, quę Divi Georgij nuncupatur, olim Monachorū, D. Benedicti nam quæ hodie etiam perſtat, ędificata fuit anno ...ut Leo Marſicanus teſtis eſt. Hęc vero, in qua requievit Corpus S. Antonij,

Cellula Sã-ctorum dice-batur ſub ti-tulo Sãctorũ Georgij, & Antonij in-antiquis mo-numentis re-peritur.

ſomno resipiſcens trepidus, & inconſultus nolebat alijs revelare, quaſi vere un lia ductus, poſtmodum placuit dextræ excelſi, quòd iſte Albertus convocatis multis Clericis, & multorum ſapientum choro habito, accepto ligone, cepit fodere locum in ſomno ſibi revelatum. Cumque inhiſſent fodere pariter ſupra ſepulchrum Sancti Antonij presbyteri, & Heremitæ ante Altare Beati Mamiliani ſitum, in quo taliter continebatur ſcriptum. Hic eſt Corpus Sancti Antonij presbyteri, & Heremitæ, qui ſepeliebat corpora Sanctorum Martyrum ſub Nerone Imperatore, & Anolino pro fide ſanctæ Reſurrectionis. Require corpora hujus Urbis Sanctorum Epiſcoporum, Presbyterorum, Heremitarum, Militum, Martyrum, & Confeſſorum; Sanctus Dionyſius dedicavit Eccleſiam iſtam in honorem Salvatoris Cœli, & Terræ, & Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum, nono decimo die Octobris tempore Sancti Clementis Papæ, & martyris Urbis Romæ. Peracta, & inventa ſunt hæc ſub Epiſcopo Guidone Lucanæ Civitatis, annorum tempore currente, & Imperatore Henrico tunc imperante M. CC. pridie nonas Novembris, indictione quarta, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria per infinita ſæcula. Amen.

De tanti theſauri communis inventione cum ſuis Clericis Guido Epiſcopus lętatus, gau let & Civitas, ſimulque univerſus Populus ejus. Deus omnipotens bonus, & juſtus, qui miſericordiam ſuam humano generi nunquam denegavit, nobis quoque iſtum Confeſſorem lege Chriſti proteptorẽ in Lucana Urbe collocavit devotum. Ut ſicut per corporei aſpectus ejus, & Sanctorum intuitum bona fides cernitur, ità eorum auxilia corporis, & animæ patrocinetur, & ſpes renovari videtur nobis medelam. Surrexerunt in illo tempor

Lu-

Lucani Cives ad corpus Sancti Antonij tanquam vesani colendum, nec non quisque Civitatis vici per novem dies, cum cereis, & lampadibus pernoctantes, vigilijs crebris egregiè una voce coluerunt. Laudantes quidem, & benedicentes Deum, & Dominum nostrum Jesũ Christum, qui per famulum suum nomine Albertum illius Sancti Corpus Antonij muneris laude totam Civitatem, & longius coruscavit. Decurrerunt illuc claudi, atque cœci, languidi, atque sanitate muniti, super quos, & alios clementsculos per Sancti Antonij merita multa miracula fecit. Inter quæ toto Lucano Populo vidente, unum admirabile fraternitati vestræ innotescat miraculum grande valdè. Fuit quidam de illius Civitatis Vico nomine Ugolinus Bacconerius homo sapiens, & eruditus, qui quodam die instigatione divina ignitus Basilicam in qua tanti viri corpus fuit cum pompa repertum visitavit devotè jucundus, cum diù oraſſet, atque in crebris orationibus insisteret percutiendo pectus, cupiens remeare, & tendere ad suum hospitium in viæ semita acriter fuit vulneratus. Arcessitis ergò undique Medicis cũ ingenti cura, magnaque cautela, diu, noctuque ceperunt fortiter ei mederi. Denique illis de sospitate ejus non modicè titubantibus Medicis, reliquerunt curare illicò ulcera ejus. Factum est autem, quòd in illo tempore, in ira quod omnimodè se malè, & perversè habebat Ugolinus, venit Beatus Antonius ipsi in somnio dicens, surge, & sequere me. At ille inquit Ugolinus; Quis est tu, qui talia mihi loqueris, ac suades mihi quatenus veniam tecum, respondit ei Sanctus Antonius. Sum Antonius Servus servorum Dei, & famulus Christi licet indignus. Cujus corpus cum plenæ dilectionis dulcedine pusillo labente tempore humiliter pro Christi intuitu coluisti devotè; in illa autem somnij visione

interrogavit Beatum Antonium Ugolinus dicens: Eccine de hac vulnerum percuſſione, & mei corporis gravitate evadam? Cui Sanctus Antonius dixit. Si inieris pacem, & bonam reddideris voluntatem inimico tuo, qui te vulneravit, re vera ex hac infirmitate protinus liberaberis. Verbis itaque eorum, ac ſermonibus inter eos pro ut audiſtis, ità ventilatis, duxit eum poſtea in quandam vineã prato undique amęnoſo vallatã. In qua multi videbãtur sãcti intereſſe, qui de magnalibus poli, terræ loquebãtur dicentes. Monita B. Antonij, Ugoline, perage, ut longo tẽpore vivas, & in tuis delictis parcat tibi inventuro Domine Deus. Cumque Aurora ſuos ſpargere radios, ſplendorẽ, atque dieſceret, parentibus, atque amicis tanquã per præcones undique convocatis, quæ acta, & viſa ſunt per ſomnium ſeriatim intimavit, & ita coram eis, totoque populo pacem reddidit illi, qui eum percuſſit. Illicò rurſum venerunt Medici ad eum curandum, qui quaſi ſedulo medicamine vulneribus ſuper impoſito, meliori caſu vulnera ab eis relicta fore dixerunt. Prælibatus ergò Ugolinus de munimine Beati Antonij confidendo convaluit, gratias innumeras agens Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui per merita Beati Antonij à tantæ trepidæ mortis, ſive ſortis periculo liberatus, & factus eſt penitùs ſanus.

In illo autem eodemque tempore quidam de porto veneri vir bonus iſraelita, & timoratus nomine Ghirardus, qui ſuorum oculorũ caligine involutus per triginta curricula annorum fuit privatus; iſte ergò Ghirardus flebilis, & męſtus jugiter exiſtens, & trepidus, cancellatis manibus ad Cœlum, ſuorum oculorum expectabat conſolationem à Domino. Fama quidem Beati Antonij uſquequaque lu-

culenta, & laude digna, tandem invaleſcente calmitatem tanti inclitiviri Beati Antonij ex revelatione veridicorum populus univerſus cognovit. Gaudens autem Ghirardus, & ſpem in Domino ponendo confortatus ſine temporis dilatione ad corpus Sancti Antonij venerandum ad Lucanam Urbem cum gaudio magno pervenit. In jejunijs quidem, & orationibus aſſiduis cum tota mentis intentionis inſiſtendo per quinque dierum ſpatium in Beati Antonij Eccleſia pernoctavit, factum eſt autem, quod Dominus Noſter Jeſus Chriſtus per Beati Antonij virtutem reddito Ghirardo lumine palàm coram toto populo vidit.

In illo tempore quidam Diœceſanus ejuſdem civitatis hujuſmodi infirmitatis caſu per quatuor annorum ſpatium lacrimabiliter laboravit, qui citiùs quàm potuit tumulum Sancti Antonij humiliter viſitavit, ibique flexis poplitibus per diem unam orando per interceſſionem Beati Antonij, largiente Domino, à vitio cęcitatis fuit liberatus gratias Deo, nec non Beato Antonio agens uberrimas, qui ſuæ gratiæ manum ſuper famulum ſuum impoſuit digniſſimam. Cum ſecundum divinæ diſpoſitionis arbitrium, univerſus ſecularis Orbis decurrat, & humana propago, vel, ut in fortunæ rota diſpoſita, quiſque proſperę, vel adverſæ ſortis gladio in hac valle puſilla ſinguli videantur jugiter vulnerari à Deo.

Quaproter homo quidam titubans, quo caſu, quadam in die, ſpiritu anhelante nervorum cepit debilis valdè claudicare, & dolens, claudus itaque in ſtrato jacens pro membrorum defectu dolendo penè utenſilibus domus ejus medicis traditis ſub pignoribus. Cumque medicorum medela claudo minimè valeret, ſed potius videbatur obeſſe, tandem Sancti Antonij tumuli locum ſolemnizavit. Stetit

que

que coram tumulo, & Altare, habendo cereum per duos dies in manu ſua, flexus in orationibus ſincerè vigilavit. In tertia autem die acceſſit cum aqua ad eum ſacerdos, de qua prædicti Sancti viri brachium fuit lavatum, at ubi à Sacerdote per manus, & pedes claudi fuit aqua aſperſa, ſubito priſtina ſibi fuit reddita ſanitas, coram populo ibidem vigilante ivit, & incolumis factus collaudabat Deum, qui Beati Antonij laudem, à tanta ſui corporis preſſura ſuis integer factus. Hæc & alia miracula domino cooperante ibidem fuere ſeduliter diù, noctuque oſtenſa. Cui eſt honor, & gloria per infinita ſæculorum ſęcula. Amen.

Paſſio Sancti Romuli Epiſcopi Feſulani. Pridie Nonas Julij.

In margine à Patre meo indicatum fuit in quo variet, hęc S. Romuli Paſſio ab ea, quã divus Antoninus Archiepiſcopus edidit, ut infra &c.

Non habet Divus Antoninus.

A' Beato Petro baptizatũ habet, reliqua nõ habet.

CUM Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps, Eccleſiam ſibi à Chriſto commiſſam cupiens augere divina revelatione Romam veniſſet, & ibidem varias tribulationes propter nomen Chriſti ſuſtinuiſſet, atque fama illius virtute miraculorum cum turba credentium circumquaque crevisſet. Beatus Romulus nobili quadam progenie Romanorum ortus utriſque jàm parentibus orbatus, adhuc parvę ętatis jvvenis, *errore tamen infidelitatis detentus, viſis atque auditis tot miraculorum ſignis Beatiſſimo Petro adhęſit, & ab ipſo ſe baptizari petijt. Quem Juſtinus Presbyter juſſu Apoſtoli more ſolito catetizavit, & trina merſione, in nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis baptizavit. Beatus Petrus pater ſuſceptionis ejus effectus de ſacro fonte baptiſmatis ipſum levavit. Erat autem*

ens Beatus Romulus pulcher aſpectu, ſermone facundus, & in quã-tum puerilis ætas petebat, Domini Omnipotentis ſervitio inſudabat. Videns verò Beatiſſimus Petrus Apoſtolus, quod ad diſcendas litteras jàm eſſet maturus, rogavit Juſtinum presbyterum, ut ipſum edoceret. Accipiens igitur Beatus Juſtinus infantem brevi temporis ſpatio litterali ſcientia non mediocriter inſtruxit, ac divini verbi pleniter notitiam tradidit.

Cum jàm morum probitate eſſet præclarus, ætate floridus ſapientia abundanter imbutus, toto ſtudio prædicationi cœpit inſiſtere, & credentes quoſque baptizare.

Cũque verba vitæ cęleſtis novus miles per populos Romanæ urbis ſereret, & languentes in nomine Jeſu Chriſti curaret, nunciatum eſt cuidam homini, cui nomen erat Cariſius, quod Dominus per ſervum Romulum Beati Petri Apoſtoli diſcipulorum ſalutem ægrotantibus reſtitueret. Hic verò habebat filios duos, unus vocabatur Vicinior, qui à Demonio graviter vexabatur, & alter nomine Tensior, qui gravi languore cruciabatur. Cum graviter utroſque in infirmitate laborare conſpiceret, quatenus amor infirmitati eorum compatiens venit ad Beatum Petrum Apoſtolum, & pedibus ejus provolutus, clamare cepit cum lacrimis dicens. Domine Pater ſunt mihi duo filij, quorum unus à Demonio vexatur, alter gravi membrorum dolore conteritur. Rogo, ut venias, & ſuper eos manus imponas, & ſanetur. Si per te ſanati fuerint, promitto me ab Ydolorum cultura recedere, & Domino, cujus tu ſervus es, cum omni domo mea credere. Tunc Apoſtolus Petrus dixit ad Beatum Romulum, fili vade, & manum ſuper eos pone, ut ſanitatem recipiant, & Creatorem ſuum relictis his, qui Dij non ſint, veraciter agnoſcant. Perveni-

Cępit miraculis clarere habet D. Antoninus.

Non Cariſius ſed Clariſſimus nomine Romanus dicitur, ac filiorum nomina tacentur.

ens

Hæc non habentur, sed tantũ, quod credẽtes baptizati sunt.

ens ergo Beatissimus Romulus ad Domum Carisij ingressus in eam dixit; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti ingredior hanc domũ. *Tunc perducti sunt ante eum Juvenes Vicinior, & Pensior prior à Demonio vexatus, sequens verò membrorum languore acriter gravatus. Beatus namque Romulus in terram se prosternens oravit ad Dominum dicens. Domine Deus, qui me per Apostolum tuum Petrum ad agnitionem tui nominis venire voluisti, extende manum tuam super juvenes hos, & sanitati eos restitue. Completa verò oratione erigens se manum Vicinori imponens dixit. Exi ab eo Satanas, & dà honorem Deo vivo, & verò; Statim Vicinior à Demonio ereptus, magnificans Deum baptizatus est, Pensior verò pristinæ redditus sanitati credidit Deo, gratesque reddidit magnificas Beato Romulo curatori suo. Tunc Carisius Pater juvenum baptizatus cum omni domo sua glorificavit Deum, qui tanta mirabilia operatus est per servum suum, reversus itaque Beatus Romulus nunciavit Domino suo Petro Apostolo omnia, quæ facta fuerant. Undè ille valdè gavisus gratias egit Deo. Sermo autem Domini quotidiè per Beatum Petrum Apostolum, & discipulum ejus Romulum divulgabatur per Urbem Romam, & ammirati sunt omnes, quod verbum Domini cum tanta eloquentia disseminaretur. Post hęc rogavit Beatissimus Petrus Justinum Presbyterum, & Romulum, ut duobus ministris Marchitiano videlicet secum, & Carissimo assumptis, Sutriæ Civitati verbum Domini prædicarent, & credentes quosque in nomine Domini Jesu Christi baptizarent. Egressi verò milites Christi de urbe Roma, Justinus scilicet, & Romulus, Marchitianus, & Carissimus, venerunt per viam, quæ ducit ad Civitatem, quæ vocatur Necpenam ut autem*

Nõ habet socios, sed tantum Justinũ.

Nil nisi degutrio.

tem portæ Civitatis apropinquabant audierunt pueros parvulos inter ſe de Juſtiniano ibidem Epiſcopo loquentes, quomodò verbum Dei quotidie per Civitatem prædicaret, & in nomine Domini credentes baptizaret. Tunc Juſtinus, & ſocij ejus ante portam ſuper lapidem ſedere, et quomodò Civitas vacaretur, eoſdem pueros interrogaverunt. Reſponderunt juvenes, quod Civitas Neepina vocaretur Sancti viri dixerunt, quem Deum colitis? & illi dixerunt, alij Chriſtum adorant, alij penitus ignorant, interrogāverunt autem & juvenes Beatum Juſtinum, & ſocios ejus, ſi Juſtinianus illorum Epiſcopus in nomine Dei ſui Urbem illam ſubvertere potuiſſet, & illi reſponderunt. Dominus Juſtiniani Epiſcopi poteſt deſtruere Civitatem hanc, & omnem exercitum ejus cum ipſa, ita ut nomen ejus non memoretur ampliùs. Ingreſſi autem Juſtinus, & ſocij ejus Civitatem, & ad domum Juſtiniani Epiſcopi pervenientes dixerunt ei. Pater Iuſtiniane refectionem nobis præpara in hac nocte. Reſpondit eis, & dixit, quem Deum colitis? at illi dixerunt, qui fecit Cœlum, & terram, in quem credit & Beatiſſimus Petrus Apoſtolus. At ille gaudens ſuſcepit eos, & manſerunt cum eo nocte illa; altera autem die Iuſtinus, & Beatiſſimus Romulus, ſocijque eorum ad Civitatē Sutriā pervenientes domū Pergami ingreſſi ſunt, dixit autem Pergamus ad B. Romulum. Dic mihi juvenis de qua Civitate eſtis? Reſpondit B. Romulus, & dixit de Urbe Roma veſtræ ſalutis cauſa huc venimus; & dixit Pergamus, quē deū adoratis? B. Romulus reſpondit Cœli, & Terræ Creatorē adoramus, & qui ſui ſpiritus nobis dona conceſſit, & vitam æternam promiſit, abſque ulla formidine prædicamus, in quem ſi credideris æternæ vitæ particeps eſſe valebis. Et dixit Pergamus, & eſt vita præter iſtā?

Sub Nerone hunc Epiſcopum fuiſſe ex infradicendis apparet.

Hæc habet expreſsè, ſed paucis verbis contracta.

Reſpondit Iuſtinus presbyter, ſi altera vita non eſſet, hanc perdere velle ſtultum omninò fuiſſet. Eſt autem vita immortalis, ubi nullus dolor, nullus, labor, nullumque penitus invenitur faſtidium. Quæ cum tantæ gaudium Beatitudinis in ſe habeat, oportet, ut hanc miſeram, & caducam, quæ omnibus caſibus ſubiacet, amittamus, & ad eam, in qua immortalitas regnat, Angelorum aſſiduè organa reſonant, cujus inhabitatores de ſola conditoris præſentia, & viſione gratuita, ſatietate replentur, toto deſiderio properemus. Reſpondit Pergamus. De præſentis & mihi benè cognitæ commoda vitæ per Dei veſtri potentiam oſtendite, ut eam de qua dicitis, & quam penitus ignoro, poſſim credere. Ad hanc vocem Iuſtinus preſbyter, & Beatiſſimus Romulus Domino ſe proſtravere, & preces pro incredulitate viri ſupliciter fundere. Exaudivit autem Dominus voces eorum, & tunica, qua Pergamus erat indutus, in regiam veſtem mutata eſt, baculuſque quem manu tenebat, aureum ſplendorem accepit. Tunc Iuſtinus Presbyter Deo omnipotenti gratias agens dixit Beato Romulo. Romule frater, vade, & manum ſuper vas, quod aqua plenum adſtat, in nomine Domini pone, & in gemmarum candorem converte. Quod mox omnipotens Deus ſervo ſuo contulit, & puro corde invocantibus ſemperque adeſſe mira oſtenſione declaravit. Viſis his ſignis Pergamus credidit Deo, & baptizatus eſt cum omni domo ſua, animę promiſcui ſexus quaſi quinquaginta. Tunc Juſtinus presbyter, & Beatus Romulus per totam Civitatem verbum Dei inceſſanter prædicabant, & credentes quoſque in nomine Domini baptizabant, manentes ibi centum qnadraginta diebus.

veſtem ſuam Juſtinus prę-cioſam feciſſe habet D. Antoninus.

Hæc non habet D. Antoninus.

Erat

Erat autem in Civitate Sutria vidua quædam nomine Cariſtia, quę unicam habebat filiam oris officio privatam, hæc cum lacrymis pedibus Sanctorum proſtrata, ut ſui miſereretur oravit, promittens, ſi filiæ linguæ officium, precibus Chriſto libatis, reſtituerent, ipſum Deum confiteretur, & adoraret. Miſit ergò Iuſtinus presbyter Beatum Romulum ad domum Cariſtiæ, ut filiam ipſius ſanitati reſtitueret. Beatiſſimus verò Romulus ad domum perveniens flexis genibus oravit ad Dominum dicens. Exaudi mitiſſime Deus me indignum ſervum tuum, & aperi os puellæ hujus, ut te ſuæ auctorem ſalutis cognoſcens, unum Deum confiteatur, & nomen tuum ſanctum magnificet in ſæcula ſæculorum. Cariſia.

Cumque illi, qui aderant reſpodiſſent. Amen. Continuò enodatum eſt vinculum linguæ ejus, & loqui pleno ſermone incipiens, aſſerebat quòd ipſe eſt verus Deus, quē prædicabat Beatus Romulus, & ſocij ejus. *Quidam verò Paganorum viſo tanto miraculo, abrenunciantes Ydolis, crediderunt in Dominum Ieſum Chriſtum, & baptizati ſunt. Cariſtia autem, & Filia ejus cum tota domo ſua renatę crediderunt, & dimidium omnis ſuæ facultatis pauperibus, & egenis erogaverunt. Reverſus ergo Beatus Romulus nunciavit Iuſtino presbytero, quæ Dominus erga Cariſtiam, & Filiam ejus operatus eſt. Rogothus quidam ſubregulus Neronis, & Dux Civitatis cępit cogitare, ut Sanctos Dei de Urbe expelleret. Congregatis autem paganis Sutriæ Civitatis, Beatiſſimos Viros extra Urbis mœnia expulit, interminans, quòd ſi unquam ad eam eſſent reverſi, carnes eorum unguis lacerarentur, & poſt diuturnam pœnam capite plecterentur. Preſbyter autem Iuſtinus proſtratus in terram, cum magna cordis con-*

Nō adeſt, ſed tātummodo mutā filiam Romulū ſanaviſſe.

Expreſſionē tantum de Sutrio habet.

tione hanc orationem fudit ad Dominum. Domine Deus fortitudo mea, vita, salus, spes, atque refectio omnium in te sperantium, libera nos à persecutoribus nostris, & à tormentis eorum. Deus invisibilis, & immortalis exaudire nos digneris, & homines diabolica fraude deceptos ad te propitiatus converte, ut universitatis Deum cognoscant, sicut & nos. Egressi autem de Civitate Sutria Beatissimus Romulus, & socij ejus Romam reversi nunciaverunt Beato Petro Apostolo sui eventum certaminis, & perfidę scelus Civitatis. Pergomi quoque conversionem, & Caristiæ pro filia nobilissimam fidem, & in utrisque miraculorum divinitùs declarationem. Beatissimus Petrus audito eorum fructu laboris Omnipotenti Deo gratias egit, & ad Beatum Romulum conversus dixit. Eo tempore, quo Dominus meus huic me Civitati prædicatorem direxit, duos mihi dilectos discipulos, Crescentium videlicet, & Dulcissimum Antonianam transmisit, ut cęlesti pabulo veternosi serpentis indè superstitionem auferentes corda hominum reficerent, & in quantum, Domino annuente, prevalerent, ab Ydolorum cultura averterent. De quorum certamine, seu conversatione, quia nihil postea agnovi, volo, Romule carissime fili, ut Fesulam Civitatem ab antiquo hoste obsessam prædicationis causa adeas, & per Antoniam dirigens, quid de prædictis fratribus agatur, cognoscas. Et ne hujus obedientiæ graveris, Marchitianum, & Carissimum tui socios adiungo laboris. Quòd ille humiliter suscipiens, quę Magister præceperat juxta virium se possibilitatem completurum promisit. Beatus verò Petrus manum sancto imponens Romulo Pontificatus sibi honorem tribuit, & in hæc verba benedixit. Dominus meus Jesus Christus, in cujus nomine te dirigo, mittat Angelum suum de Cœlis, qui

Ergo Romæ Petrus aderat cum scilicet Romã redierat Romulus.

qui iter tuum cuſtodiat, & faciat de infidelibus per prædicationem tuam fideles, ut relicto Ydolorum errore, ſuæ auctorem ſalutis cognoſcant Dominum Jeſum Chriſtum. Igitur Beatus Romulus iter unà cum Marchitiano, & Cariſsimo arripiens verbum conſtanter ubi Dei prædicans, pervenit Antoniam. Cumque portæ Civitatis appropinquarent, juvenem quemdam obujum habuit, quem, quomodo ipſa Civitas vocaretur, inquiſivit. Qui reſpondit, Urbs Antonia vocatur, hæcque & Feſula ante omnes Thuſciæ Civitates extructę narrantur. Vos verò unde eſtis? aut quem Dominum colitis? Beatus Romulus reſpondit. De Urbe Roma venimus, & nomen Domini Ieſu Chriſti, cujus ſervi ſumus, gentibus ubique, ut ab Ydolorum cultura diſcedant, prædicamus. Dic ergò, obſecro, hujus ſi unquam nominis prædicator in hac Urbe apparuit. Tunc juvenis, venerunt ad nos, inquit, quondã duo juvenes ætate floridi, ſapientiæ magnæ. Cumque Chriſtum, qui à Iudæis crucifixus eſt prædicare cępiſſent, à civibus comprehenſi, graviterque virgis cęſi, Civitate expulſi ſunt. Audivimus autem, quod in latere montis laudantes Domino ſuo ſtudiosè deſerviant. Hoc audiens Beatus Romulus cum Marchitiano, & Cariſsimo celeriter ad latebram monſtrati montis pergens invenit Creſcentium, & Dulciſsimum in ſecretis montis illius antris, quotidianis vigiliis, jejuniis, & orationibus, corpora ſua macerantes. Quos cum vidiſſet Beatus Romulus gaudens ſalutavit, ac deindè ſibi invicem oſcula dederunt. Auditis autem Crescentius, & Dulciſsimus cauſis iteneris B. Romuli, ſociorumque ejus, & quomodò à Beato Petro Apoſtolo eſſent directi, lętantes junxerunt ſe illis. Poſt hæc Sancti Viri Civitatem exſtanter ingreſsi, venerunt ad domum Victimi cujuſdam in ea po-

ten-

tentis viri. Victimus autem plangebat filium ſuum diù languoris morbo vexatum. Vicini verò ejus, & affines voces pro eo mittebant lugubres. Videns ergo Beatus Romulus multitudinem flentium, miſericordia motus, dixit ad Victimum. Noli flere, non morietur Filius tuus, ſed ſi in Dominum meum credideris, priſtinæ illum ſanitati citò redditum gaudebis. Tunc Victimus pedibus Beati Romuli proſtratus, ut, ſi filium ſuum curaret à languore, & Tdola deſereret, & Dominum Ieſum Chriſtum cum tota familia ſua crederet. Beatus itaque Romulus precibus ad Dominum fuſis manum puero impoſuit, ſanumque, & incolumem in conſpectu omnium reddidit. Tunc Victimus cum uxore, & filio, totaque familia ſua credidit Chriſto, & baptizatus eſt, gratias agens Deo, & Beato Romulo: omnes verò, qui aderant, admirati ſunt, & dixerunt. Iſte homo, aut Propheta, aut Amicus Dei eſt.

Manſit autem Beatus Romulus, & ſocij ejus in Civitate Antonia multis diebus perplures ibidem ab Tdolorum cultura convertens per conſtantiam prædicationis, & per edificentiam virtutis. Audiens autem, quod habitatores Feſulæ Urbis crudeles eſſent, & impij nullius unquam prædicationi aſſenſum præberent, elegit magis ad alia loca prædicationis ſtudio tranſmigrare, quàm ſemina divini verbi ibidem ſuper ſentes incaſſum ferere. Iter ergo cum ſocijs arripiens ad Brixiam Urbem devenit, in qua filium cujuſdam Viduæ ſuſcitavit, atque multos ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum à faucibus antiqui hoſtis ereptos convertit. Poſt hæc venit Bergomũ, moratur ibidem annum, & dimidium. Ubi cum duos mortuos reduci vitæ reſtitueret, plurimaſque virtutes in nomine Ieſu Chriſti perpetraret, plures crediderunt in Dominum Ieſum Chriſtum. Deinde

de cum apud ſe deliberaret ibidem ad agonem certaminis accedere, nec ultra jàm ad alia loca tranſmigrare; Ecce Angelus Domini in ſomnis vehementer eum increpavit, præceptumque Magiſtri perficere admonuit. Expergefactus autem à ſomno ſocios convocavit, & viſionis ſeriem per ordinem retulit. Nec moram ibi facientes ductore Angelo, quem in ſomnis Beatus Romulus habuerat hortatorem, Feſulam venit ad Urbem. Cumque Civitati appropinquaret Sanctus Romulus in terram proſtratus in his verbis orationem fudit ad Chriſtum. Deus Creator Cæli, & Terræ mitte cognitionem nominis tui in Civitatem hanc, ut relicto infidelitatis errore convertantur ad Dominum Jeſum Chriſtum filium tuum. Reſponderunt ſocij ejus, & dixerunt, Amen. Tunc Civitatem ingreſſi venerunt ad domum Adriani cujuſdam opulentis viri. Qui dixit ad Beatum Romulum: Quomodo juvenis vocaris, aut quid quæris? At ille reſpondit. Romulus dicor. De Urbe autem Roma cum ſocijs, & confratribus egreſſus hùc veni, ut viam vobis veritatis oſtenderem, quatenus Idolorum ſuperſtitionem relinquentes Creatorem noſtrum colatis, & adoretis. Reſpondit Adrianus, & dixit. Venerunt quondam ad nos duo juvenes ab Urbe Roma nomini Chriſti, qui à Judeis crucifixus eſt, prædicantes, quorum unus vocabatur Dulciſſimus, alter verò Creſcentius, quos noſtri Cives comprehendentes, graviſſimiſque ſupplicijs afficientes, ſemineces ab Urbe expulerunt. Dulciſſimus, & Creſcentius hoc audientes rei quidem veritatem in ſe ex parte cognoſcebant, ſed hujuſmodi perpeſſos pro Deo ſupplicia prodere renuebant. Dixit autem Adrianus ad Beatum Romulum. Quæ eſt virtus Dei tui? Reſpondit Beatus Romulus. Virtus Dei mei talis eſt, quòd invocato ejus nomine, mortuos ſuſcita-

mus

mus, lebroſos mundamus, Demonia ex obſeſſis corporibus eijcimus, virtuteſque plurimas operamur. In quem ſi credere volueris, prædictorum ſignorum potentiam conſequeris, & æternæ vitæ gaudia ſine fine poſſidebis. Tunc Adrianus auditis ſermonibus Beati Romuli dixit. Nunc verò cognoſco, quòd Angelus Domini per os tuũ loquitur. Nec mora, Adrianus Idola deſerens, pedibus Beati Romuli advolutus, rogabat eum, ut ſacri unda baptiſmatis perfunderet, & inſtruens eum Beatus Romulus omnem fidei regulam baptizavit cum uxore ſua, & filijs, & omni domo ſua. Ipſa verò die per prædicationem Sanctorum, multi crediderunt in Dominum Jeſum. Erat quidam juvenis in Civitate nomine Celſus, qui à Demonio graviter vexabatur. Quod audiens Beatus Romulus venit ad domum illius, patremque, & matrem, omneſque vicinos invenit pro juvene flentes, & dixit illis Beatus Romulus. Quid fletis? Si credideritis in Chriſtum Jeſum, fletus veſter in gaudium citò mutabitur. Acceſſerunt itaque pater, & mater juvenis, genibuſque Beati Romuli inhærentes rogabant, ut filium ſuum ab immundo ſpiritu liberaret. Omnes quidem, qui aderant, conſtanter aſſerebant ſe in Chriſto credituros, ſi orationibus ſuis cernerent puerum à Demonio liberatum, & converſus Beatus Romulus ad ſocios Marchitianum ſcilicet, & Cariſsimum, Creſcentium, atque Dulciſſimum, dixit. Oremus Fratres ad Dominum Ieſum, ut Creaturam, quam ſuæ imagini voluit eſſe conſimilem, ab immundo ſpiritu dignetur liberare, ut adſtantes hoc viſo miraculo, credentes in eum ſuperna mereantur Ieruſalem eſſe concives. Cumque ab oratione conſurgerent, Beatus Romulus manum puero imponens dixit. In nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi dæmon, ut exeas, & recedas à puero hoc.

Sta-

Statim Dæmone ululatum diræ vocis emittente, Celſus ſanitati eſt reddstus. Omnes verò, qui aderant, Dei laudantes potentiam, crediderunt in Ieſu animę promiſcui ſexus quaſi nonaginta. Baptizatus eſt autem puer, qui à Demonio fuerat liberatus, paterque illius, & mater cum omni domo ſua.

Tunc Beatiſſimus Romulus per totam Civitatem ſacri ordinis viros ordinavit, Eccleſias conſtruxit, credentes quoſque inceſſanter baptizavit. Jàm enim numerus fidelium valdè augebatur, miſit autem Repertianus proviſor Civitatis, ut cives in unum convenirent. Quibus convocatis in auditu omnium dixit. Fratres, & Concives, aduenæ quidam noſtræ menia Civitatis ingreſſi, populum nova ſecta perturbant, & Chriſtum, qui à Iudæis crucifixus eſt, Deũ affirmãtes ad Deorũ noſtrorũ iniuriã provocant. Quos ſi ita dimittimus, varijs Urbẽ implent erroribus. Tunc placuit omnibus, ut de Civitate ejiceretur B. Romulus, & ſocij ejus. Igitur Repertianus Sanctos Viros ad ſe duci juſſit, & B. Romulo iracundia plenus dixit. Aut Dijs noſtris incende libamina, aut de noſtra Urbe, cum tuis ſocijs, una recedere feſtina. Beatus Romulus reſpondit, & dixit. Neque Dijs tuis libamina offero, nec oves, quas mihi Dominus meus hìc dedit, derelinquo. Tunc Repertianus dixit miniſtris fuſtibus latera eorum tundite, & cæſos extra Urbem eijcite. Miniſtri autem, ut eis fuerat impoſitum, fecerunt, & verberibus nimium affectos de Civitate expellentes, portas ſeris, & vectibus ne ampliùs ingrederentur, obſtruxerunt. Beatus itaque Romulus, ſocijque ejus civitate egreſſi, hujuſcemodi preces ad Dominum fuderunt. Domine Ieſu Chriſte Deus noſter, qui per Angelum tuum recto nos itinere hùc perduxiſti, hujus Urbis infidelium corda mollifica, & ad te con-

convertens, ab T dolorum fac recedere cultura; & manserunt extra urbem die illa. Noctis autem silentio regressi, cum ad murum Civitatis venirent, porta ad ingressum Sanctorum ultrò aperta est. Ingressus igitur Beatus Romulus in domibus fidelium latuit, & verbi Domini semina cordibus audientium infudit.

Erat Fesulæ Vidua quædam nomine Vienna, unicum habens filium in mortis vicinio languoris pondere constitutum, quæ pedibus Beati Romuli prostrata rogavit, ut sui misertus ad domum illius veniret, filiumque suum lacrimabili languore detentum sanaret. Venit itaque Beatus Romulus ad domum Viennæ, aspicienſque languentem puerum, quomodo vocaretur, inquisivit. Respondit Vienna cum lacrimis. Nimior. Tunc Beatissimus Romulus manum languido imponens dixit. Nimior, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti surge, & stà super pedes tuos. Statim Nimior surrexit, & sanitati redditus, Christum, & Beatum Romulum glorificavit. Et baptizata est Vienna cum filio, & domus ejus tota, & ex civibus plures cum ea.

Nuntiatum est autem Repertiano Romulum, socioſque ejus in Urbem esse reversos, & ira repletus jussit eos tribunalibus suis sisti. Cumque adducti fuissent ante impiissimum Repertianum, præc p t carnificibus, ut in imo carceris eos recluderent, & colla manusque eorum fortiter alligarent. Sancti Martyres igitur carcere inclusi, hymnis, & laudibus Deo omnipotenti grates attulere, & ut sibi adiutor esset in tribulationibus, suppliciter rogaverunt. Media autem nocte juvenis quidam venit ad eos niveo indutus amictu, dicens. Confortamini, & nolite timere. Illi verò obstupefacti dixerunt. Quis es Domine. Ego sum inquit Iesus, pro cuju nomine

sup-

ſupplicia ſuſtinetis, & carceris ſquallorem patimini. Agite igitur viriliter, & per Martyrij palmam ad cœleſtia regna properate. Ego verò non vos derelinquo, ſed in omnibus adiutor ero.

His dictis abſceſſit. Statim vincula de collo, & manibus eorum ſoluta ſunt. Illi autẽ laudare, & magnificare cœperunt Dominũ, qui eos viſitavit, & in anguſtijs confortavit. Completis autem aliquantis diebus, quibus non manducantes, neque bibentes, orationibus, vigilijs, laudibus inſiſtebant. Repertianus dixit ad ſuos: Eamus ad carcerẽ, & inimicos Deorũ noſtrorũ catenarũ fame, pœnarumque atrocitatibus conſumptos foras mortuos pronunciamus. Cumque euntes, carceri appropinquarent, ecce audierunt illos pſalmis, & himnis, laudes Deo canentes. Tunc iratus Repertianus juſſit cuſtodes carceris ad ſe venire, putans quod ipſi alimenta illis tribuerent, & vincula de collo, manibuſque eorum exſolviſſent. Cumque in præſentia eſſent, dixit Repertianus. Simili pœna vos interficiam, quia Deorum noſtrorum inimicis vitæ ſolatia tribuiſtis. Cumque mortis ſupplicia illis minaretur: Dixerunt Cuſtodes. Domine venit ad eos quidam alba veſte indutus, cujus faciem ſolis claritatem vincebat, qui eos conſolatus eſt, ad cujus ingreſſum vincula ſoluta ſunt, & oſtium carceris apertum. Nos verò territi fugam iniimus. Miniſtri autem fecerunt ſicut eis fuerat imperatum. Cumque ducerentur, & thura Iovi recuſarent offerre, graviſſimè ſuſtibus cæſi ſunt. Cum autem per plateas Urbis traherentur carnificibus fortiter eos cædentibus, videns B. Romulus puellam quandam de puteo aquam haurientem, potum ſibi tribui poſtulavit. Carnificum autem metu puella exterrita aquam, quam hauſerat, renuit dare. Beatus Romulus unà cum ſocijs, precibus ad Dominum fuſis,

putei ipſius aquas in ſanguinem convertit. Chriſtianis exinde aquam guſtantibus, paganis verò ſanguinem haurientibus. Unde prædictæ Urbis carnificum ità magis, ac magis accendebatur, & ſeditio in Sanctos Martyres augebatur. Quidam igitur ex paganis cæteris audacior injuriam ſe Deorum ſuorum vindicare dicens, cultrum de vagina produxit, & in Sanctum Dei Romulum furibundus irruit, corpuſque illius punctim undique perfodere cepit. Qui Beatiſſimus Martyr longo cruciato, multiſque plagis contortus Domino ſpiritum reddidit in Sanctorum Choris perpetim gaviſurus.

Socij autem ejus, ideſt Marchitianus, Cariſſimus, Creſcentius, & Dulciſſimus capitalem ſubiere ſententiam. Simul itaque decollati ad cęleſtia regna pervenerunt Martyrij. Quorum corpora Chriſtiani colligentes, & cum aromatibus condientes ſimul ad radices montis ſepelierunt, millario plùs minùs ab Urbe uno. Anno Domini LXXVII. circiter, ibidem poſtea miri decoris Eccleſia eſt conſtructa ſub honore Sancti Bartolomęi Apoſtoli, in qua etiam plura Sanctorum Martyrum corpora ſunt ſepulta. Ubi divina beneficia præſtantur innumera. Deinde translata ſunt ad Eccleſiam Cathedralem prędictę Civitatis prędicta corpora Sanctorum Martyrum Romuli Epiſcopi, & ſociorum ejus, atque aliorum Sanctorum die XVII. Februarij 1039.

La ſopradetta vita, e miracoli di S. Romulo noſtro Primo Veſcovo Fieſolano, è ſtata copiata ad verbum da un libro grande ſcritto in carta pecorina antico, che ſi conſerva nel noſtro Archivio della noſtra Cattedrale Fieſolana, dove ſono anco nell' iſteſſo libro alcune altre vite, e miracoli di altri Santi &c.

Et

Et Jo Pietro Franchi Canonico Penitentiero di detta Cattedrale, & Protonotario Apoſtolico, atteſto, & affermo eſſer così la verità, e perciò di propria mano hò ſcritto, e ſottoſcritto la preſente, e ſigillata col mio proprio ſigillo queſto dì 4. Novembre 1655. giorno del glorioſo S. Carlo Borromeo &c.

Petrus Franchius Canonicus Pœnitentiarius, & Prothonotarius Apoſtolicus manu propria &c.

Locus ✠ Sigilli

Extemporales Notationes in Acta Sancti Romuli.

QUÆ ex Cartophilacio Eccleſiæ Cathedralis Fæſulanæ exhibemus Sancti Romuli acta, non nihil ab ijs, quæ in ſuam hiſtoriam tranſtulit D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, variant. Gravem hunc autem, & eruditum ſcriptorem ex aliquo perantiquo codice jàm à duobus integris ſæculis fideliter in ſua tranſpoſuiſſe non dubitarem, mutato quidem ſtylo, & contracta, ut arbitror, narratione. Nos hìc, quæ cum Sancto Archiepiſcopo, ac Diacceto Epiſcopo Fæſulano variant, adnotare non pigebit. Jvvenem fuiſſe D. Romulum ſilet D. Antoninus, qui tantùm ait. *S. Romulus de nobili progenie ortus, parentibus orbatus, cum Beatus Petrus Apoſtolus Romæ prædicaret ad*

do-

doctrinam ejus conversus, & baptizatus est. Hìc fortè correxisse D. Antoninũ acta quis putaret, quòd non à Petro, sed à Justino baptizatum, Apostolorum Princeps patrinus eũdem sacro fonte levaverit, quasi ritus hic suscipiendi in baptismo recentiora tempora redolere videatur, ut hæretici hujus sœculi opinantur, & irrident. At meminerint primam baptismi cęremoniam fuisse ex ipsismet Apostolorum temporibus, ut qui baptizandus esset, haberet susceptores. Ità docet D. Dionysius Areopagita cap. de baptismo, qui hos Anodochos vocat, hoc est fidejussores; meminit Tertullianus de corona militis cap. 3., & de baptismo cap. 18. sponsores appellavit, quemadmodum & Justinus Martyr quæst. 56. ad Orthod. offerentes nuncupavit. Nequaquam igitur explodere debemus, ut quod ab Apostolis promanavit, primus & Petrus Apostolus effecerit.

At non modo *Juvenem, sed puerum, & infantem*, appellant hæc acta, & consonant, quòd sub Nerone tantùm missus sit Sutrium, cum ætas ante Neronis imperium nimis ex hac narratione fuisset immatura. Ovidius lib. 1. de arte &c. Cajum Cesarẽ missũ ab Augusto in Parthos vocat puerum, cum tamen is decimum nonum annum ageret. Vide Salianum T. 6. p. 453. Adolescentẽ, ac penè puerũ etiã vocat Hieronymus lib. 1. contra Jovinianũ Joannẽ Evangelistam, eo tempore, quo Christus Petrum Ecclesiæ præposuit, undè non 30., vel 31. anno ejusdem, sed potiùs 20., vel infra. Vide Tirinum Chronologię sacrę cap. 50.

50. in fine, & Salianum T. 6. par. 479. Prima Christianæ militiæ in Romulo tyrocinia Romæ fuerunt, ubi & miraculis claruisse habet & D. Antoninus, inquiēs. *Deinde à Justino quodam Sancto Viro eruditus est, cœpitque miraculis clarere.* Justinus autem, quod à Sancto Archiepiscopo siletur, Presbyter jàm erat. Variant hìc in nomine prodigiosę per Romulum conversionis acta ab historia Divi Antonini, dùm narrant. *Quidam autem clarissimus nomine Romanus, cum haberet duos filios, unum Dœmoniacum, alium graviter infirmum, rogabat Beatum Petrum, ut illos sanaret, promittens se crediturum si sanarentur, pro quo misit Petrus Romulū ad domum illius, & facta oratione Romulus eos liberavit, unde credentes baptizati sunt.*

Hæc omnia in idem consonant, sed tantò contractiora, ut & nomina Vicinioris, & Pensioris per sanitatē ad Christum perductorum sileantur. Corrigendum autem puto in Beati Antonini historia quod Amanuensis errore irrepsit, ubi enim legitur. *Clarissimus nomine Romanus*, legendum omninò est *Charisius nomine, Romanus*, puta, natione, *cum haberet duos filios;* Ità & Diaccetur legit, & ex eo Razzius. Omnia, quæ hìc habentur de itinere Beati Romuli cum Justino Presbytero, & Marchitiano, & Carissimo, Ministris ad Urbem Neepenam accedentis, antequam Sutrium perveniret, deque Justiniano ejusdem Urbis Episcopo, prorsus ab historia D. Antonini absunt; quia verò de prima Nepesinorum christianitate supra egimus, lectorem ad ea libenter ablegamus. Nil etiam de accessu Romuli, & sociorum ad Urbem Neepenam habent Diaceē-

cetus, Razzius, & Ferrarius. De prodigijs in converſione Pergami aliam vitam neſcientis in Sutrina Civitate patratis, contractiora omnia habet D. Antoninus, qui Juſtini Tunicam non Romani in regiam converſam fuiſſe ita narrat. *Nam Juſtinus ſuam tunicam vilem convertit in regiam, & ſuum baculum in aureum ſplendorem.* At quod Juſtino, & Romulo coniunctim orantibus, prodigium acta tribuunt, Diaccetus tantùm Romulo adſcribit, & veſtē Pergami in precioſam fuiſſe mutatam, non Juſtini, cum actis habet. Numerum etiam per Romulum, Juſtinum, & ſocios ad fidem his miraculis converſorum ſilet Beatus Antoninus, ſed Diaccetus conſonat cum actis antiquioribus, quæ non quinquaginta promiſcui ſexus, ſed quaſi quinquaginta fuiſſe docent.

Miraculum in filia Cariſtiæ, ſeu Cariſię Viduę ità compendioſius apud D. Antoninum legitur, *filiam quoque Cariſtiæ Viduæ mutam ibidem Romulus ſanavit.* Diffuſius habetur apud Diaccetum, qui tamen tacet à Romulo id peractū Juſtino Presbytero mandante.

Juſtini, Romuli, ac ſociorum expulſio à Sutrina Civitate ità breviſſimè à Beato Antonino narratur. *Cumque multi converterentur ad fidem expulſi ſunt de Sutrio à gentilibus.* Expreſſiùs tamen ſuppreſſo Rogothi nomine expulſionem ſub Neronis Imperio, & ab ejuſdem duce, ſeu præfecto habet Diaccetus; ſed lanienæ, ac pœnæ capitis interminatio jàm non eo tempore fuiſſe exilium imperatum à Sutrina Civitate monſtrat, quando jàm edi-

ctis

ctis vetebatur Christiana religio, sed Neronis imperantis tempore. Hoc autem primis Neronis annis accidisse non videtur dicendum, quandoquidem, etiamsi mortuo Claudio, & Judęorũ ab Urbe exilio jã finis esset, & aliqui ex Judæis Christianis Romam redierint, nusquam legatur Petrum Romam redijsse. Et profectò si anno Neronis tertio, Christi 59., ut Lucas in actis narrat, Paulus navigavit Romam, atque ibidem per duos annos mansit in custodia, neque Petri unquam mentio inijciatur, neque etiam in epistola Pauli ad Romanos, quam putat Baronius scriptam anno Neronis tertio, quamvis eorum fides laudetur, nunquam Petri recordatio existat, verosimilius est alias regiones interim Petrum peragrasse. Addimus & silentium Petri esse in tot epistolis à Paulo in vinculis conscriptis, dũ Romę moraretur. Videtur enim prorsus incongruũ summi Christi Vicarij, vel societatem, vel præsentiam aliquo modo non indicasse. Initio tamen Neronianæ persecutionis Petrum Romæ fuisse ex Simonis Magi, qui tunc Romæ erat, præsentia colligere licet, quem ex Origene refert Baronius anno 67. suos discipulos docuisse, ut indifferenter se ad Idolorum cultum haberent, & contra Simonem, Petrum pugnasse, antequam persecutio moveretur, omninò videtur dicendum. Quomodo enim jàm vetita religione Christiana, Petrus palam Christum docere potuisset? Quod magis videtur rationi consonũ, quam quòd jàm incepta persecutione, anno Christi 68., tàm Petrus, quàm Paulus Romam redierint, quod oculatis-

ſimo alioquin probatum Baronio video ex Metaphraſte. Quod enim ibidem de prædicatione Petri, & Pauli ex Lactantio adducitur, brevi futurum, ut Princeps foret, qui Judæos peſſundaret, brevitas hæc neceſſitatem non infert, ut in biennium ante Neronis mortem reponatur, cum & triennium brevi futurum dici poſſet.

Eo tempore quo Dominus meus &c. Per id tempus, habent acta, quę edidit Auguſtinus Florentinus &c. Razzius, & Diaccetus fortè quam monſtravimus temporis inconcinnitatem agnoſcentes, nil habent præter hæc Italica verba. *E quivi intendeſſemo quello che foſſe ſeguito di due ſuoi dilettiſſimi Diſcepoli, Creſcentio, e Dulciſſimo già ſtati dalui quivi mandati*, & infra, *ritraſſe che non molto innanzi erano quivi capitati due giovini molto ſavij &c.* Razzius, & Ferrarius Creſcentium, & Dulciſſimum, vocant *diſcipulos, quos præmiſerat Petrus*.

At D. Antoninus idem fortè agnoſcens ità de Volaterranis præcurſoribus Creſcentio, & Dulciſſimo ait. *Reverſum igitur ad Urbem Romulum Petrus miſit Fæſulas, Epiſcopum ibi inſtituens, & cum eo Marchitianum, & Cariſſimum, ita tamen, ut priùs accederent ad Civitatem Volaterranam, quæ tunc Antonia dicebatur, ut viſitarent duos diſcipulos ſuos, quos illùc deſtinaverat Petrus ad prædicandum, ſcilicet Creſcentium & Dulciſſimũ &c.* Hos autem diſcipulos miſſos à Petro Volaterras non ità accipiendum crederem, ut ſtrictè tunc Petrus eos ad eamdem Civitatem tranſmiſerit, cum primò Romam juſſu Dei attigerit. Cum enim id evenerit anno Chriſti 44. & ex ſupra-

prædictis non videatur Petrus Fęſulas Romulum delegaſſe ante annum Chriſti 66., jàm dicendum eſſet in Volaterrano ſpecu per 22. annos Creſcentium, & Dulciſſimũ latitaſſe, aut ſi velimus initium annorum Neronis, ſub quo imperante, Sutrio Romulus cum ſocijs expulſus fuerat, accipere, ſaltẽ per 13. annos in eadẽ ſpelunca vixiſſe fatendũ eſſet, quod minùs probabile videtur ex pluribus. Præcipuè quia Jvvenis Volaterranus Romulum certiorem facit ad eam Civitatem quondam duos Jvvenes ætate floridos perveniſſe, quos prædicantes Chriſtum fuiſſe virgis cæſos, & expulſos, & in latere montis latère, videtur enim hoc ſapere tempus perſecutionis &c.

Antonianam tranſmiſit &c. & infra, & *per Antoniam iter dirigens &c.* & adhuc infra *Urbs Antonia* vocatur, hæcque, & Fęſulę ante omnes Thuſciæ Civitates extructæ narrantur &c. Duo hìc animadverto, quæ ſuſpicionem ingerunt additamenti, quidquid enim ſit de veritate aſſertionis, quòd Antonia Civitas, & Fęſularum cęteris antiquiores inter Hetruſcas Urbes ſint, equidem verba hìc à Juvene Volaterrano ſatis inſulsè miſcentur, & recentioris ſœculi ſcriptorem omninò oſtendunt. Nullibi enim apud antiquos latinos ſcriptores legitur, Antoniam Urbem Volaterranam fuiſſe dictam, imò Auguſtinus Florentinus in Vita SS. Juſti, & Clementis cap. 28. Antoniam Urbem ab actis Sancti Romuli removit, & ubìque Volaterras legit, & cap. 28. apertè oſtendit, Volaterranam Civitatem Unnorum, ac Barbarorum incurſibus devaſtatam, ab Othone Impera-

tore primo novis mœnibus circumvallatam, & reſtitutam docet, & ex ejuſdem nomine Othoniam appellatam. *Quod nomen ſanè*, inquit, *ut ex inſcriptionibus, ac geſtibus illorum temporum liquidò conſtat, flagitiosè fuit uſurpatum, & corrupto, depravatoque vocabulo Antonia pro Othonia dicta fuit.* Divus tamen Antoninus tunc temporis Antoniam vocatam fuiſſe Urbem Volaterranam ex actis ijſdem Sancti Romuli haviſſe videtur.

Igitur Beatus Romulus iter unà cum Marchitiano, & Chariſſimo arripiens verbũ conſtãter ubique Dei prædicans &c. Hinc recentiores accepiſſe videntur, quod in pluribus Hetruriæ locis Chriſtum Romulus annunciaverit. At ex actis apparet non prædicaſſe in Thuſcia, niſi in itinere Roma Volaterras. In reditu enim ex Gallia Ciſalpina in Hetruriam, quia monitus ab Angelo Fęſulam ire feſtinabat, Chriſtum alibì, quàm Fęſulis, annunciaſſe non legitur. *Cumque Chriſtum, qui à Judęis Crucifixus eſt, prædicare cœpiſſent à Civibus comprehenſi &c.* duo hinc videntur inferri, primũ jàm ex tempore perſecutionis indicari annũ, quo Diſcipuli Petri Volaterram directi ſunt; deindè neminem ibi converſum ad Chriſtum dici, ſed vix cœpiſſe prædicare, cum expulſi ſunt, ac proinde primum Romulũ in eadem Urbe aliquos fideles Chriſto lucrifeciſſe, ut patet ex verbis *mãſit autem Beatus Romulus &c.* quæ jàm perſecutionem ceſſaſſe demonſtrant, non enim expellitur, cœditur, aut ad mortem quæritur.

Audiens autem quod habitatores Fęſulæ &c. hinc jàm ab alio præ-

prædicationis ſonum audiviſſe convincitur, licet non aſſenſerint, ſed expulerint. Hos Paulinum, & Frontonem prædicatores ante Romulum fuiſſe ſupra oſtendimus.

Amen. Vox hæc ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia uſitata fuit, ut apud Baronium obſervatur T. 1.

Quomodo juvenis vocaris &c. hinc juvenē adhuc fuiſſe Romulum patet, & non niſi poſtremis Neronis annis Sutriū, Volaterram, ac Fęſulas miſſum &c. non tamen adoleſcentulum, ſed triginta ſaltem annorum, ut alibi ex Apoſtolicis ſanctionibus obſervavimus.

Quidam Juvenis &c. & infra *baptizatus eſt puer.* Hinc vitę hujus ſcriptorem juvenem, & puerum confundere apparet, ut ſupra Juvenem, & infantem, dùm de Romulo ſcribit &c.

Sacri ordinis viros ordinavit, Eccleſias conſtruxit &c. Hoc antequam Romulus Fęſulis, Paulinum Lucæ operatum eſſe monſtravimus.

Ex Repertiani Romulum eijciendi extra Urbem conſilio patet ſub Veſpaſiano repreſſam perſecutionem &c.

Vienna nomen Fęminæ neque apud D. Antoninum, neque Diaccetum, aut Razzium legitur, ſicuti & languentis Nimioris ejuſdē ſoni nomen, quod comparatiuū latinum videtur cum duobus ſupraſcriptis Vicinior, & Penſior.

Socij autem ejus &c. Monet Ferrarius in lectionibus Eccleſię Bergomēſis altera die à Paſſione Romuli, hoc eſt 7. Julij, nullū verbū fieri de Creſcentio, & Dulciſſimo, ſed inter

ſo-

ſocios Romuli annumerari tantùm Juſtinum, Chariſſimum, & Marcianum, ſeu Marchitium, quorum tamen ex Eccleſia Feſulana memoria extat, & celebratur ſupraſcripta die &c.

Et cum aromatibus condientes &c. Novum non eſt Martyrum corpora aromatibus condiri ſolita. Vide Baronium T. 1. &c.

Anno Domini 77. circiter. Variat hìc Beatus Antoninus, dùm ait, ſocij decollati ſunt anno Domini XC. vel circa. Anceps fui, quam lectionem ſequerer. Certè, quamvis Diaccetus velit ſub Nerone paſſos anno 73. ſtandum eſt antiquæ lectioni, & corrigendus eſt Diaccetus, qui pro LXXVII. legerit LXXIII. facillimo amanuenſis errore, ſed omninò corrigendus, quòd ſub Nerone, nam ut etiam monet Ferrarius anno 73. non Nero, ſed Veſpaſianus Imperium tenebat &c. Diaccetus & ex eo Razzius Martyrum agonem putat fuiſſe quadraginta circiter annis poſt paſſionem Chriſti, qui incidunt ferè in annum 73.

Brevis Appendix Marij Florentinij.

INexauſta à tot ſæculis D. Paulini beneficentia novis ſemper miraculis comprobata animum meum ad illud enarrandum, quod anno MDCLXIIII. evenit, atque hujus Operis calci adijciendum allexit; id forſan à Patre

meo

meo adhuc vivente peractum esset, si hunc libellum publici tunc juris facere decrevisset.

Celebrabatur more solito, & commemorato anno Sancti Præsulis festus dies, dumque solemne perficeretur in propria ipsius Basilica sacrum, ac bombardarum explosione tantæ celebritati plauderetur, accidit, ut incautus librator bellicum tormentum plumbeis glandibus fætum, & in proximum extra Sancti Donati Portam versatilem Pontem directum fortuitò exploserit, cujus ictibus transeuntes agricolæ, & populares à D. Tutelaris cultu redeuntes interfecti fuissent, nisi admirabili portento, dilaceratis tantùm vestibus, & levissimè contusis membris, absque ulla noxa, parati ad necem globuli ante ipsorum pedes concidissent in terram. Hoc prodigium, sacris priùs probatum in tabulis, Serenissimi Senatus excitavit pietatem, ad testandam posteris non intermissam D. Paulini tutelam, & validissimum patrocinium; Quare publica inscriptione, rem præclaram comprehendi, & incidi jussit in marmore, ejusdem Sancti Antistitis templi valuis superponenda. Id munus tribus nobilibus viris Leonello de Nobilibus, Petro Benassai, Francisco Mariæ Florentinio patri meo demandatum fuit, qui varijs undique collectis Inscriptionibus, eam, quæ nunc supra sacræ Ædis portam insculpta legitur, partim à Jacobo Rossio Seminarij Lucensis Rectore, & eloquentiæ professore eruditissimo, & partim à Francisco Maria Florentinio conflatam, ponendam curarunt.

Fuit

Fuit quoque S. C. statutum, ut Civitatis Sancti Donati Porta deinceps Sancti Paulini quoque nuncuparetur, ac duo ex candido, nitidoque marmore affabrè facta simulachra, D. Paulino unum, D. Donato alterum, ſupra eamdem Portam ad ornatum, & cuſtodiam locarentur.

Addere etiam libet, ad Lucenſem Epiſcopalem Sedem elati Eminen. Cardinali Hieronymij Bõviſij precibus pro divino officio in tota Diœceſi recitando Sancti Paulini proprias lectiones à Sacra Rituum Congregatione approbatas, & ad eamdem Eccleſiam pariter electum Eminentiſſimum Julium Cardinalem Spinulam, humilibus Cleri Lucani petitionibus permotum, à Santiſſimo Innocentio XI. impetraſſe, ut quartæ lectioni, inſpecta prius, & perpenſa membranacei Codicis, in quo exarata erant, ideò Romam à P. Hieronymo Florentinio Congregationis Matris Dei Presbytero delati, integritate, & vetuſtate, ſequentia verba adiungerentur.

Ac Virgini Deiparæ, cui ſumma pietate, ſinceroque affectu erat addictus (ut ex vetuſto codice habetur) apprimè charus &c.

Neque ſilentio hìc prętereundum duxi veterem D. Paulini, & ſociorum Martyrum monumenti ſtructuram, quam mihi ſedulò perſcrutari contigit, cum Eminentiſs. Cardinalis Epiſcopus Julius Spinula anno M. DCLXXX. die XV. Aprilis ad ipſius Baſilicam accedens, præſentibus Flaminio Nobili Vicario Generali, & Cathedralis Canonico Pœnitentiario, Jacobo Bernardinio Eccleſiæ Sancti Paulini Priore, alijſque Sacerdotibus, & Nobilibus Viris

Fran-

Franciſco Ciuffarini, Carolo Parenſi, Hieronymo Benaſſai, Hyppolito de Nobilibus, Franciſco Bernardini, & me quoque Mario Florentini, eamdem marmoream Arcamreſerari juſſit. Primo intuitu in conſpectum venit magnæ molis lapideum operculum in angularem ſupernè figuram elevatum, in cujus dextera ſublimiori parte, levi, & rudi inciſione ſculpta cernitur regia corona cum his caracteribus ℟ & X. ſubtus exaratis; in ſinistra verò Crux. Eo ablato, marmorea tabula duorum circiter digitorum craſſitudinis Sanctorum oſſa tegens comparuit; qua pariter remota, in quatuor inæqualibus ſpatijs per marmoreos parietes diſtinctis Sanctorũ Lipſana condita inſpiciebantur. In primo dexteri lateris, ut dicunt, à cornu Evangelij, ſpatio, plurima Sancti Severi oſſa ſatis procera ſervantur; In proximo verò, & medio cupreſſina includitur arcula, brachij dimidium circiter longa, & paulò minùs lata, & alta, quæ cineres, & oſſa D. Antiſtitis Paulini ſanctiſſimè cuſtodit. Hanc æneis auratis vinculis munitam, & junioris Epiſcopi Guidiccionij ſigillo ſignatam adaperiri noluit Julius Cardinalis Spinula Epiſcopus. Tertium Sancti Theobaldi oſſa, nec multa, nec grandia continet. In ultimo ſiniſtri lateris plurium Sanctorum Martyrum D. Paulini ſociorum, ut credere par eſt, oſſa ſervata exiſtunt. Extracta ipſa, cum Sanctorum Severi, & Theobaldi reliquijs, & in novis cupreſſinis arcis aptata, iterum in priſtinum marmoreum monumentum ſuis locis recondita fuerunt, ac ſericeo cooperta velo, telaque cera

oblinita ſigillo Cardinalis Julij Spinulæ obſignata, ut debitum, & conſuetum populorū cultum obtineant.

In externa Sarcophagi facie exculpta viſitur imago, ut à parente quoque meo jā prænotatum fuit, Paſtoris humero agnum geſtantis, ad cujus utrinque pedes agni ſimiliter effigies cum arbuſculæ icone aſpicitur. Eadem obſervaverat etiam ipſe genitor meus in translatione illius marmoreę Arę ex vetere ad novum Altare anno 1643. die 21. Maij, ſed tunc adaperta non fuit.

Anterior hujus monumenti proſpectus Sereniſſimæ Reipublicę impenſis magnificè ornatus eſt.

Duo, quæ jàm in argenteo brachio aſſervabantur cum tribus dentibus Divi Paulini oſſa, in argenteam eximij opificij thecam repoſita, feſto ejuſdem Sancti die publicæ venerationi in ara templi maxima exponuntur.

Pauca hęc addere mihi viſum eſt ad omnipotentis Dei, mirabilis in Sanctis ſuis, gloriam, & Divi Paulini Lucenſium Apoſtoli laudem.

IN-

INSCRIPTIO

AD VALVAS ECCLESIÆ SANCTI PAULINI

D. PAULINUM LAUDENT IN PORTIS OPERA EJUS.
QUI SUÆ CELEBRITATIS DIE
XII. JULIJ ANNI MDCLXIIII.
EXTRA S. DONATI PORTAM FREQUENTI POPULO
TANTUM DONAVIT,
QUANTUM IMPROVIDA DE MURALI TORMENTO EXPLOSA GRANDO
ERIPERE POTUISSET.
HÆC PRÆTEREVNTES PERCUSSIT. VESTES DISCIDIT.
VITA SPOLIASSET.
NISI SANCTISSIMUS PASTOR.
EXCUSSIS IN TERRAM TORMENTARIJS GLOBULIS.
OMNEM VETUISSET VULNERANDI LICENTIAM.
PATRITIA PIETAS NON TAM PRODIGIJ MEMOR. QUAM BENEFICII
SENATUS CONSULTO.
POTENTI PATRONO. PATRI AMANTISSIMO
OBSEQUENTIS ANIMI MONUMENTUM. P.

ALTERA INSCRIPTIO

A'

ERANCISCO MARIA FLORENTINIO

Jàm delineata, ſed alienis oculis non expoſita.

AGNOSCE QUISQUIS ADES A LUCENSIUM APOSTOLO
PARIA SEMPER ORIGINI BENEFICIA DEFLUERE.
QUARTO IDUS JULIJ MDCLXIIII.
MURALE TORMENTUM LIBRATOR MALE CAUTUS INCENDIT,
ET MULTIS ONERATUM TELIS IN HOSTEM
MULTOS DISPLOSIT IN SUOS.
SACRATUM SIBI DIEM NOLUIT FUNESTARI PAULINUS,
ET TURBIS AD CELEBRITATEM EFFUSIS IN PORTA
FESTIVOS IGNES PROHIBUIT ESSE FERALES.
PERICLITANTIBUS TUTELARIS PRÆ FORIBUS ASTITIT,
ET ERUMPENTES GLOBOS COERCENS
DISCINDI VESTES PERMISIT AD FIDEM, NEGAVIT AD VULNERA.
REFULGENS IN MERIDIANO SOLE PRODIGIUM
HETRUSCÆ PRIMOGENITI LUCIS LUCENSES PATRES
HOC VOLUERUNT MONUMENTO CLARESCERE.

S. C.

Opus

OPus hoc inſcriptum: HETRVSCAE PIETATIS ORIGINES, SIVE, DE PRIMA THVSCIAE CHRISTIANITATE, à præſtantiſſimo, celeberrimoque Viro FRANCISCO MARIA FLORENTINIO Nobili Lucenſi jàm olim elucubratum, jubente Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Ioſepho Arnulphinio Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Principis Franciſci Cardinalis Bonviſij Epiſcopi Lucani Generali Vicario ſedulò evolvi. Omnia prorsùs in eo Orthodoxis Dogmatibus, Chriſtianiſque moribus conſona; Imò ne apex quidem repertus, qui Authorem ſuum, egregijs eruditiſſimæ Pietatis monumentis, communi Sapientum ævi noſtri ſuffragio, de literaria Republica optimè meritum, non redoleat. Quæ in perſcrutandis abditiſſimis, impervijs, tenebroſiſque vetuſtatis latebris ſolertia! Quæ in ſecernendo prudentia! Quæ in refutando modeſtia! In ſupputandis temporibus quam exactus! Quam ſolidæ in adſtruendis opinionibus rationes! Stylus preſſus quidem, ſed amœnus, ſed candidus. Hoc dumtaxat cenſura dignum notaverim, quod per Illuſtriſſimum Dominum meum Marium Florentinium, Paternæ Pietatis, Modeſtiæ, ac omnigenæ eruditionis hæredem, domeſticus hic Theſaurus, ad Familiæ ornamentum, ad Patriæ Decus, ad commune Bonum, ſeriùs publici ſit juris effectus.

Ita ego ſentio, ſalvo &c. Lucæ ex hac Noſtra Domo Sanctæ Mariæ ad Cortem Rolandingam nuncupatæ prid. Kal. Iunij Anni Iubilæi 1700.

Ludovicus Marracci Clericus Regul. Congr. Matris Dei.

Im-

IMPRIMATUR.

JOSEPH ARNOLFINI Vicarius Generalis.

VIdi (& videndo obſtupui) opus, quod inſcribitur HETRVSCAE PIETATIS ORIGINES, ſive, DE PRIMA THVSCIAE CHRISTIANITATE, jàm confectum vigilijs præclariſſimi Ingenij olim FRANCISCI MARIAE FLORENTINI Nobilis Lucenſis, & modò in lucem editum a Mario Florentinio, tanti Patris digniſſimo, ac benemerito filio: Si par igitur utriuſque ſtudium, ingenium, labor, & virtus, ergò par etiam laus, & honor. Quiquis leget, omnia admiratione digna inveniet, totum enim opus eruditione, ſapientia, ac pietate plenum mirabitur, & ne diutiùs lateat theſaurus hic abſconditus, ſtatim Typis donetur, ut litteraria Reſpublica utilitatem, qua maxima ab Authore ditatur, omnibus impertiatur; quod libentiſſimè affentior.

EGO PAULUS SINIBALDI I.V.D. & Patricius Lucen. ILLUSTRISSIMI Off. ſuper Juriſdict. Præpoſitus.

ER

ERRATA	CORRIGE
Pag. 1. Autoris	Authoris
19. nemine	neminem
37. Pentapolis Falerię	Peotapolis. Faleriæ
47. Abundij	Abuodij
52. Sepulti m	Sepultum
57. Bergomùm	Bergomum
64. L. Fori	L. Flori
65. eſtctedere	eſt etedere
ded ſtiones	deduſtioues
68. Verumtamem	Veromtamen
69. Hiſtorie	Hiſtoriæ
72. deterrrere	detertere
78. affirmaturom	affirmaturam
73. Id. e ueoiſſe	Id eueniſſe
83. Indicatiooe	indiſtiooe
88. in Tuſcia	in Thuſcia
92. ſerulit	retulit
95. aut quis	antiquis
98. Diœceſis	Diœcęſis
Diœceſis	Diœcęſis
99. N. 3.	N. 2.
100. t auquam	tauquam
101. Eccleſiæ Catholicę	Eccleſia Catholica
112. Noſtris dipricia	Noſtris dypticis
113. Cęnobiadocent	Cęnobis docent
118. omia	mors
120. quibus	quĭbus
ad Ceotem	ad Centum
121. elicì	elici
124. recenſerat	recenſetur
19. eaclpum	exemplum
131. miolmùm	minimom
133 Nicoſienſis monomẽtis	Nicoſiẽſis monumẽtis
134. il Tompio	il Tempio
138. Trinitas, ſuperſtàtialis	Trinitas ſuperſtãtialis
141. haboiſſe	habuiſſe
147. ſęvitiam	ſęvitia
152. t ranalpes	tranlalpes
154. presbyterium	presbyterum
d ſtinguuuot	diſtinguot
156. vel ut	velut
156. pulchernimus	pulcherrimus
fu iſſe	fuiſſe
177. s bu	ſub
178. itr	iter
181. slvvio	ſlvvio
183. pertiſtunt	persiſtunt ?
193. Guglielmo	Gulielmo
200. Corpns	Corpus
206. de lus	de luca
ſxeus	ſexus
208. eodemque	eòdem
Artu.	Vr
228. populus Lucanæ Civitatis	populus illius Civitatis
nullo tempore deſtru- etur	non deſtruetur
234. Inre	In re
238. H s dictis	His dictis
&c. Et ſic	Et ſic
die	diem
nomene	nomine
245. dicendeos	diceudus
250. repenitur	reperitur
tempor	tempore
252 hà	hac
eu	eui
porto veneri	Porto Veneri.
257. apropinquabant	appropinquabant
lila	illa
258. Nullus labos	nullus labor
ſupplicitur	ſupplicitet
itta	ita

MAG 200317

Digitized by Google